



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Psalmi, Sev Precationes D. Ioan. Fisheri Episcopi
Roffensis**

Fisher, John

Lvgdvni, 1572


urn:nbn:de:hbz:466:1-41688




Th. 2346.

G. I

ΑΠ.





J
C
E
M
u
C

C
M

P. S A L M I,

S E V

P R E C A T I O N E S

D. IOAN. FISHERI

Episcopi Roffensis.

A C C E S S I T I M P L O R A -

tio diuini auxiliij contra tentatio-

nem ex Psalmis Dauidis,

Per Th. Morum.

V I R T U T E D V C E .



C O M I T E F O R T V N A .

L V G D V N I ,

Apud Sebastianum Gryphium.

M. D. LXXII.

DEALMI

RECAUTIONES

JOAN. FISHERI

Episcopi Suffraganei

EXCESSU IMPERIALI

in quibusdam articulis

contra Regem Anglorum

per Joannem

COMITIBUS



LIBRARIIS

LEONARDI

Abbatem Monasterii

in A. S. S.

3
P S A L M V S

PRIMVS, AD IM-

*petrandam remissionem
peccatorum.*



Dominator Domine, Deus
omnipotens, magne & ter-
ribilis, qui cælum, terram,
mare, & omnia quæ in eis
sunt, verbo tuo fecisti.

Cuius potentia irresistibilis, & miseri-
cordia super omnia opera tua.

In ditione tua vniuersa sunt posita, a-
nima omnis viuentis, & spiritus vniuer-
sæ humanæ carnis.

Tu misereris cui volueris, & clemens
es, in quem tibi placuerit.

Consilium tuum in sempiternum per-
sister, & omnis tua voluntas fiet.

Tua est potentia, & imperium & glo-
ria, qui es super omnia, & per omnia, &
in omnibus nobis.

Pater misericordiarum, & Deus om-
nis gratiæ, paciſque ac consolationis, qui
non vis mortem impij, nec delectaris in

A ij

perditionibus animarum.

O Deus, misericordia diues, qui propter nimiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, etiam cum inimici tui essemus, vnigenitum Filium tuum Iesum Christum misisti in hunc mundum, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam:

Miserere mei, miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele transgressiones meas.

Laua me, Deus sancte, ab iniquitate mea, & ab immunditijs meis purga me.

Scelera enim mea agnosco Domine, & iniustitias meas contra me pronuntio.

Confiteor aduersum me impietatem cordis mei, nam erga te cor perfidum semper habui ac rebelle.

Filius infidelis, & exasperans, prouocaui te in vanitatibus meis.

Pater sancte, peccaui in cælum & coram te, neque iam sum dignus vocari filius tuus.

Quoniam irritaui iram tuam in multitudine iniquitatis meæ, & mentitus sum in omnibus iustitijs tuis.

Re-

Reuersus sum à vijs tuis, vt facerem malum in conspectu tuo, impiè egi, & iniquè me gessi, relinquens mandata tua, & detrahens correctioni tuæ.

Auerti me, & nō custodiui fœdus tuū, ambulauit in via non bona post cogitationes meas, elegens ea, quæ tu noluisti.

Non te metui, Domine Deus omnipotens, neque vultum tuum reueritus sum, inobediens fui, & ceruicem meam induraui.

Frons meretricis facta est mihi, nescio erubescere, ecce loquor ad te, sed facio malè magis ac magis.

Deserui bonum, retrorsum abij, non posui spem in te Deo factore meo, sed aliundè præsidium & securitatem parans.

Araui impietatem, iniquitatem meæ sui, comedi fructum mendacij, quia confisus sum in via mea.

Proieci legem tuam post tergum, non attendens mandato tuo, nec recedens à studijs meis prauis.

Non dedi cor vt reuerterer ad semitas tuas, te enim agnoscere nolui, at impégi propter iniquitatem meam.

Non sum reuersus ad te in toto cor-

de meo vsque in hunc diem, sed mendaciter, & quemadmodum fidem frangit mulier viro suo, sic fidem fregi tibi, ô Domine Deus.

Abominabilia enim feci, & malorum nihil me pœnituit, de malo ad malum transiens post concupiscētiās cordis mei prauas.

Tu scis omnia Domine, quo modo irritaui te in adinventionibus meis malis, & vniuersa mea delicta à te non sunt abscondita.

Exosam habui disciplinam tuam, & sermones tuos proieci retrorsum.

De malitia mea pœnitentiam non egi, sed præualui in vanitate multa.

In corde meo non fuit veritas, & iniustitiam operatæ sunt manus meæ.

Loquutus sum iniquitatem, & dolos parturiui, meditatus sum cum corde meo verba mendacij, & consumpta est in visceribus meis veritas.

Adsuefeci linguam meam loqui vanitates, perficiens voluntatem carnis & cogitationum, studia & adinventiones meæ contra te Domine Deus, vt prouocarem oculos maiestatis tuæ.

Vidisti hæc omnia Domine, & tacuisti, sed malum fuit in oculis tuis, & non placuit tibi.

In indignatione tua repudiasti me, & diuisus es à me iam multis diebus.

Tradidisti me in desideria cordis mei, vt ea facerem, quæ non conueniunt.

Væ mihi, quòd recessi à te, multa mihi calamitas, quoniã flagitiosè vitam duxi.

Væ mihi desertori, vt facerem consilia, & non ex te, & perficerem cogitationes, sed non ex spiritu tuo: propterea cõgregationes peccati super peccatum.

Quotidie ignominia mea mihi ob oculos, & pudor faciem meam obteggit.

Et tu Domine Deus, quare obliuisceris mei, & tam diu contines misericordiam tuam à me?

Suscipe causam meam post longam iram tuam: misericors enim es, ne irasca- ris obsecro in perpetuum.

Ne repellas contritum & humiliatum, miserum & abiectum, qui nomen tuum suppliciter inuocat.

Reuertere aliquantulum, Domine Deus, & exorabilis esto super sceleribus meis.

A iiij

Ne facias mihi iuxta peccata mea, & secundū iniquitates meas ne reddas mihi.

Ne ostendas potentiam tuam in miserum, nec eum, cui nulla est virtus, tam durè persequaris.

Veniant preces meæ ante vultum tuum, & iuxta promissa tua, recipias me in gratiam tuam.

Tuus enim ego sum, Pater iuste, quem pretioso suo sanguine redemit vnicus tibi Natus.

Et iam abominatur anima mea vitam meam, & te iudicē omnium veniam peto.

Humilio me sub potēti tua manu, quoniam quum iratus fueris, misericordiam facis, & in tempore tribulationis peccata dimittis.

Et ego peccatorem me confiteor, obsecrans te Domine Deus omnipotens, pro bonitate tua, vt facias mecum iuxta magnam misericordiam tuam.

Confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam delicta mea ascenderunt in conspectum tuum.

In te, in te Pater peccaui, & quod malum est in oculis tuis admisi, multa siquidem est iniquitas mea coram te. Prose-

Etò

Etò in te præuaricatus sum ab incunabulis meis vsque in hunc diem, iugiter faciens malum ab vberibus matris meæ.

En ego in iniquitate genitus sum, & peccato inquinatum enixa est me mea mater.

Granum enim seminis mali seritur in corde meo, & ab eo quantum impietatis pollulauerit vsque ad hunc diem?

Transgressiones meæ mecum sunt, & hucusque fero opprobrium adolescentiæ meæ.

Ecce Domine sub peccato vænundatus sum, & non inuenio in carne mea bonum.

Siquidem quod volo bonum, illud non ago, sed quod odio mihi est malum, id facio.

Cuncta cogitatio cordis mei apposita est ad malum omni tempore, ab adolescentia mea.

Et quare morior in peccatis meis Domine Deus omnipotens? quùm tibi non sit voluntas vt moriatur impius, tantùm vt reuertatur, & viuat.

Tu etenim bonus es & propitiabilis, qui etiam indignos saluas iuxta magnam

IO P R E C A T I O N E S
misericordiam tuam.

Quoniam enim insustentabilis sit ira
super peccatores cōminationis tuæ, im-
mensa tamen & imperuestigabilis mise-
ricordia promissionis tuæ.

Tu fecisti misericordiam in millibus
à retro temporibus, quò magnum red-
deres nomen tuum, quemadmodum e-
tiam nunc permanet.

Patres antiqui in angustijs suis ad te
clamauerunt, & tu liberasti eos: in te spe-
rauerunt, & non sunt confusi.

Cùm non haberent ultrà, quod age-
rent, hoc solùm restabat, vt oculos suos
ad te dirigerent.

Saluasti eos propter nomen tuum, vt
ostenderes in eis fortitudinem tuam.

Multis vicibus pronocabant te iniqui-
tatibus suis, & ad iracundiam concitau-
erunt bonitatem tuam.

Et quum tribulationem eorum & eos
supplices tibi vidisses,

Recordatus pacti tui, pœnituit te,
iuxta multitudinem miserationum tua-
rum.

Miserere mei, miserere mei ô Domi-
ne Deus omnipotens: nam miser & in-
fœlix

foelix ego sum, sana me obsecro, quem percussisti propter iniquitatem meam.

Anima mea vehementer turbata est, & tu Domine, quousque non respicies?

Quousque reprobabis orationem ad te vociferantis? an ne in perpetuum? quousque auertes faciem tuam à me?

Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, quas firmasti in veritate tua?

Num iam desines misereri Deus? aut reprimes per iram bonitatem tuam?

Num proiecisti in æternum, vt nunquam posthac sis placidus?

Et manus tua non est inualida, quin iuuare potest: nec grauatae aures tuæ, vt audire renuant.

Quandiu voluam cogitationes amaras cum animo meo? quanto tempore dolor cor meum torquebit?

Quousque tandem superabit me inimicus meus? respice & exaudi me ô Domine Deus.

Illumina oculos meos: diutiùs enim obdormiui in morte, & præualuerunt aduersum me iniquitates meæ.

Reuertere Domine, reuertere, vt eripias animam meam, & saluum me

facias propter magnam misericordiam tuam.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis & gratiæ.

In morte quænam erit memoria tui? aut in inferno quis confitebitur tibi?

Viuens, viuens, ipse te laudabit, & notam faciet misericordiam tuam.

Domine, in ira tua ne arguas me, neq; in furore tuo ultionem de me sumas.

Ne iacias ad me tela tua, neque aggraves super me manum tuam.

Iram tuam diutiùs tuli, & de calice furoris tui plus satis bibi.

Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, nulla mihi pax à facie peccatorum meorum.

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & velut pondus immane quotidie me premunt.

Fœtoré exhalant cicatrices meæ, propter stultitiam meam.

Miser sum, & abiectus à facie tua, omni die mœrens ingredior.

Anima mea plena est immunditijs, & in me toto nihil est sanum.

Hinc fit, vt inimici mei crudeliùs me per-

persequantur, obrugio præ magnitudine
doloris mei.

Cor meum in me fluctuabundum est,
& fortitudo mea à me recessit.

Domine, notum est tibi desiderium
meum, & necessitas mea te minimè latet.

Propitius esto peccatis meis propter
temeripsum, ô Domine Deus omnipo-
tens, & scelera mea coram te delean-
tur: nam secundum bonitatem tuam
promisisti poenitentiam remissionis pec-
catorum.

Propter gloriam nominis tui Domi-
ne miserere mei, & solue tuam erga me
indignationem, & tum verè iustus agno-
sceris in verbis tuis, & vinces quum de te
iudicabitur.

Siquidem per hoc annuntiabitur im-
mensa tua gratia, quum misertus fueris
eorum, qui non habent vnde glorientur
in conspectu tuo.

Et bonitatem tuam discent omnes ha-
bitatores terræ, quum benefeceris nobis
propter nomen magnum tuum, & nõ se-
cundum vias nostras malas, neque iuxta
scelera nostra praua.

Profectò Domine Deus, si non multi-

plicaueris misericordias tuas erga nos, nō uiuificabitur seculum cum eis qui habitant in eo, & si non donaueris de bonitate tua, quomodo erigantur illi, qui iniquitatem fecerunt, de peccatis suis?

Miserere mei, miserere mei, ô Pater bone, & noli diutius mecum irasci propter nomen magnum tuum.

Et propter nomen sancti filij tui Iesu, quem misisti propitiationem pro peccatis nostris per fidem in sanguine suo, propitius esto mihi peccatori.

Ecce pater sancte, ecce puerum tuum, quem elegisti: en dilectum tibi filiolum, in quo bene complacitum est animæ tuæ, ponens spiritum tuum super eum, & mittens eum, ut euangelizaret pauperibus, ut sanaret contritos, ut consolaretur omnes lugentes, & prædicaret captiuis indulgentiam, & cæcis visum.

Ecce paruulum tuum, qui natus est nobis. ecce filium tuum, qui datus est nobis, cui etiam non pepercisti, sed pro omnibus ad mortem tradidisti, oblationem & hostiam in odorem suauitatis.

Verè languores nostros ipse in corpore

pore suo tulit, & dolores nostros ipse portauit.

Infirmatus est propter peccata nostra, & vulneratus propter scelera nostra.

Disciplina pacis nostræ irruit super eum, & liuore suo vulnera nostra sanata sunt.

Omnes nos quasi oves errauimus, unusquisque in viam suam declinauit, & tu Domine posuisti in eo iniquitates omnium nostrum, percutiens ipsum propter scelera populi tui.

Corpus suum dedit percutientibus, & genas vellentibus, faciem suam non auertit ab increpantibus & conspuentibus in eum.

In dilectione & misericordia sua perditos redemit, pacificans per sanguinem crucis suæ, quæ in cælis, & quæ in terris sunt omnia.

Tradidit in mortem animam suam, & pro transgressoribus preces effudit.

Respice clementissime pater, quisnam ille qui passus est, & reminiscere obsecro pro quibus passus est.

Hic est enim innocens ille, quæ (quum

essemus peccatores) pro nobis ad mortem dedisti: num non multò magis iustificati, nūc in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum?

Si reconciliati tibi sumus (quòd adhuc inimici essemus) per mortem filij tui, an non multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius?

Ecce agnum immaculatum, qui peccata mundi tollit, cuius pretioso sanguine redempti sumus de iniquitatibus nostris.

Ecce mitissimum innocentem, qui tanquam ovis ad occisionem ductus est, & dum malè tractaretur, os suum non aperuit.

Ecce vnicum tibi natum, quem etsi ex omnipotente virtute tua genuisti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluisti.

Qui cùm in forma Dei esset, nec rapinã arbitratus esset se æqualẽ Deo, semetipsum exinaniuit, formam serui accipies, & in similitudine carnis peccati veniens, damnauit peccatum in carne, humilians semet ipsum, tibi pater vsque ad mortem crucis: illicque chirographum, quod aduersum

aduersum nos erat decretum, delebat, & tollens de medio suffixit illud cruci, in qua expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans, eos in semetipso.

Reduc, Domine Deus, oculos tuæ maiestatis super opus ineffabilis pietatis.

Intuere dulcem tuum Natū toto corpore extensum.

Oblustra partes omnes à vertice capitis vsque ad plantam pedis, & non inuenietur dolor sicut dolor illius.

Attende, pie Pater, dilecti tibi Filioli caput venerandum, horridis circumseptū spinis, diuinum vultum viuo vndiq; spargens cruore.

En impube flagellatur corpus, nudum tunditur pectus, perfoditur cruentum latus, anhelans cor obpalpitat, extēsi stringuntur nerui, decora languent lumina, regia pallent ora, melliflua exæstuat lingua, interna arescunt viscera, liuida rigent brachia, ossa diuelluntur solida, speciosa debilitantur crura, pedes immaculatos vnda purpurei sanguinis eluit.

Adspice miūissime conditor charissimæ prolis humanitatē, & miserere super

infirmi figmenti tui debilitatem.

Spec̃ta gloriose genitor, gratissimæ
prolis lacerata mēbra, & memorare ob-
secro quantula est mea substantia.

Conspicare Dei hominis pœnam, &
relaxa conditi hominis miseriam.

Vide redemptoris supplicium, & re-
dempti dimitte delictum.

Viam sceleratam procul à me pelle, &
doce me per spiritum tuum sanctum, viam
veritatis eligere.

Obsecro te ô Rex sanctorum, per hūc
sanctum sanctorum, per hunc redempto-
rem meum, vt reducas me in viam rectā,
quo ei valeam spiritu vniri, qui mea non
abhorruit carne vestiri.

Perfice gressus meos in semitis tuis,
facque odio me habere omnes vias ini-
quitate.

Ablue à malitia cor meum, & ab oc-
cultis malis munda me.

Expia me ô Pater sancte, per sangui-
nem testamēti æterni Filij tui dilecti, qui
dilexit nos, & lauit nos à peccatis no-
stris in sanguine suo, & redemit ab omni
iniquitate.

Purifica cor meum per sanctificationē
spiritus

spiritus tui, & asperſionem ſanguinis filij
tui, ab omni immunditia peccati, & con-
ſcientia mala.

Deus omnipotens propitius eſto mi-
hi peccatori, propter nomen magnum
tuum, & iniquitatum mearum ne memor
ſis amplius.

Quoniam Deus es tu, bonus & mi-
ſericors, ac patiens erga nos, nolens ali-
quos perire, ſed omnes ad pœnitentiam
reuerſi.

Fac me redire, Domine Deus, de vijs
meis malis, & à cogitationibus meis
prauis.

Peccatorum adoleſcentiæ meæ & ſce-
lerum meorum ne ſis memor: ſecundum
miſericordiam tuam memor eſto mei tu,
propter bonitatem tuam Domine.

Ne ponas vultum tuum aduerſum me
in malum, quoniam nullus eſt, qui audeat
pro me teſtimonium dicere.

Nec in eas iudicium cum ſeruo tuo, te
enim accuſatore nunquam abſoluar.

Etenim ſi iniquitates attendas Domi-
ne, Domine, quis non caderet in conſpe-
ctu tuo? hoc pro certo eſt, quòd coram te
nemo viuens iuſtificabitur, cum aduer-

sus angelos tuos peruersi quid reperisti?

Quāto magis in homine, qui est abominatio & foetor, & domum inhabitat luteam, & bibit sicut aquas iniquitatem?

Quis purus est à sorde ex ijs, qui omnes polluti sunt? ne vnus quidem, etiam si vnus diei fuerit vita eius super terram, & numerabiles menses illius.

In veritate nemo de genitis est, qui nō impiè gessit, nec quisquam iustus in terra, qui bonum facit, & non peccat.

Sed quoniam tecum est propitiatio, cūm terribilis sis, spes mea in te Domine Deus, cui fudit anima mea.

Anima mea te expectat, quoniam tecum est misericordia, & copiosa apud te redemptio.

Hoc enim certissimè scio, quòd non repelles in sempiternum, sed tu ipse qui abieceris, rursus misereberis secundum multitudinem miserationum tuarum.

Pius & clemens es tu Domine Deus, & non auertes faciem tuam à nobis, si reuersi fuerimus ad te.

Tu enim Deus noster suavis, & verus, pater, & in misericordia disponēs omnia.

Exuberāt fontes bonitatis tuæ, & gratia

ria

ria tua nunquam deficit.

Vniuersæ viæ tuæ misericordia & veritas fœdus tuum, & testimonia tua exquirentibus.

Quàm mitis est parens in pueros suos, tam mitis tu Domine erga timentes te, & pro abundantia misericordiæ tuæ indulges infirmitatibus nostris.

Agnoscis figmentum tuum, recordaris quales sumus, memor es quod caro sumus, & nullius firmitatis.

Non oblitus es, quod mundus hic repletur iniustitia & impietate, & totus in maligno positus est.

Attamen tu misericors es & plenus gratia, propitius, ac pœnitens super malitiam hominum.

Miserere mei, ô Domine Deus salutis meæ, propter gloriam nominis tui, & libera me, & propitius esto peccatis meis propter nomen tuum.

Pater iuste, ne attendas multitudinem iniquitatum mearum, sed respice faciem Iesu filij tui sancti, qui peccatum non fecit, & peccata nostra pertulit in corpore suo, super lignum crucis.

Auerte faciem tuam à peccatis meis,

B iij

& omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua intra me.

Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiã de salute tua, & spiritu potenti confirma me.

Emollias cor meum Domine Deus, ne reuertar ad semitas tuas, nam in erroris via diutiùs erraui.

Conuerte me ad te, & conuertar, tu enim fictor meus es, ego verò lutum, & opus manuum tuarum.

Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à seruo tuo.

Adiutor esto mihi, ne deseras me, neque despicias me ô Domine Deus meus, & salus mea, Amen.

*PSALMVS II. PRO
peccatorum remissione.*

Fortissime Deus spirituum, & vniuersę carnis, cuius iudicia inscrutabilia sunt & sapientia profunda,

Exaudi preces serui tui, & ne repellas obsecrationes figmenti tui.

Etenim donec vixero loquar ad te, &
non

non filebo, dum spiritus hos regit artus.

Ad te animam meam conuerto, ad te oculos meos dirigo.

Auertatur obsecro ira tua à me, & da ut inueniam gratiam coram oculis tuis.

Secundum magnitudinem misericordiæ tuæ remitte vniuersa peccata mea.

Ab omnibus sceleribus meis eripe me, & sana animam meam quæ in te peccauit, liberum me fac à reatu transgressionis meæ: nam iniquitatem meam agnosco, & pro peccatis meis pœnitentiã ago.

Deserui viam tuam, & mandata tua intelligens, omnia feci contraria.

Irritum feci pactum quod tecum inieram, & legem tuam seruare contempsi.

Verè peccaui in te Domine Deus, & vsque in præsentem diem macula sceleris mei permanet mecum.

Dereliqui te Deum factorem meum, recessi à te saluatore meo, & sicut taurus recalcitrans iugo suo, rebellis sum tibi.

Cor meum erga te induravi, & ceruicem meam post peccata superbe erexi.

Confusus sum in mendacio, præ dolo te agnoscere nolui, sed sequebar prauitates cordis mei.

B iiij

Arrogantia mea me decepit, & audacia cordis mei in deum me perduxit.

Consilia & cogitationes meę fecerunt hæc mihi: hæc est malitia & rebellio, quæ corda hominum possidet.

Depellitur à tranquillitate anima mea, & bonorum obliuio me conuoluit.

Aggrauatum est iugum transgressionum mearum, eleuatum est & implexum collo meo.

Tu loquutus es mihi, audire nolui: tu vocasti me, non respondi, non credidi verbis tuis, nec sustinui consilium tuum.

Verbum tuum vice opprobrij fuit mihi, & non posui cor in sermonibus tuis.

Percussisti me, at nihil doluit mihi, emendauisti me, sed disciplinam recipere nolui.

Cogitavi in corde meo, quod omnis malitiæ meæ non esses memor.

Ore meo & labijs meis glorificaui te, sed cor meum longè fuit à te.

Occultaui sicut Adam scelus meum, ut absconderem in occultis iniquitatem meam.

Os tuum non interrogauit, & nolui audire de lege tua.

Peccaui

Peccaui corā oculis tuis, & propterea instabilis facta est anima mea.

Te enim deserui fontem aquarum perennium, vt effoderem mihi conculcatos puteos & lutosos, qui non habent aquas.

Et in ijs omnibus non sum reuersus ad te, neq; faciem tuam precatus sum, vt recederem à vijs meis prauis.

Vide Domine & intuere, quàm vilis factus sum, periit à me omnis decor meus, vt te iam prorsus adspicere non possim.

Et nulla fuit caussa, vt te desererem, & vanus vana sectarer.

Domine, miserere mei, & exaudi preces meas, quoniam tu Deus meus, & non est absque te saluator.

Auertatur furor tuus à me, nec me deuastes propter peccata adolescentiæ meæ.

Peto obsecrans te Domine, remitte mihi, propter magnam misericordiam tuam.

Domine Deus exercituum, si decreueris saluare, quis poterit resistere? si extenderis manum tuam, quis te auertet?

Tu enim instar figuli potes mihi fa-

cere, ecce ego in manu tua perinde atque lutum in manu fictoris.

Emenda me Domine, sed in misericordia, non in ira tua, ne me in nihilum redigas, ut intelligam & cognoscam, quā perniciosum sit atque noxium, deserere te Dominum Deum meum, & timorem tuum à me repellere.

Nullus est, qui potest sanare me, neque medicari plagæ meæ: nemo qui liberet me, præter te Domine, qui vulnera infers & sanas, percutis & curas.

Perditio mihi ex meipso, tantummodo in te auxilium meum, & salus mea.

Tibi enim nullus similis est, magnus es tu, & magnum est nomen fortitudinis tuæ.

Conuerte me Domine ad te, & conuertar, aufer à me cor malignum, ut faciat in me lex tua fructum.

Memor esto mei propter bonitatem tuam Domine, & amorem tuum erga me integrum.

Eheu Domine Deus: en tu es, qui fecisti cælum & terram virtute tua magna, & brachio extento, & nihil est tibi difficile.

Tu

Tu es Deus ille magnus & fortis, cui
nomé est Dominus exercituum, magnus
& mirabilis in consilio tuo.

Ipsé enim es, qui simul atque verbum
protuleris cuncta fiunt, quum tu præce-
peris constant res, & verbum tuum non
reuertitur ad te vacuum.

Domine Deus, tu misereris omnium,
quia omnia potes, & dissimulas ad pecca-
ta hominum propter pœnitentiam.

Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil
eorum odisti quæ facta sunt, non enim
per odium aliquid fecisti, aut constituisti.

Parcis autem omnibus, quia tua sunt
omnia, qui amas animas.

Tu misericordiam, æquitatem, & iu-
stitiam facis in terra, quapropter & ijs v-
nicè delectaris.

Iustus quidem & bonus tu Domine,
ego autem vultum tuum offendi, trans-
gressus sum fœdus tuum, in te præuari-
catus sum.

Vidisti Domine facinora mea, suspice
causam meam, recordare quàm vilis fa-
ctus sim, inspice & contemplare oppro-
bium meum.

In tempore reconciliationis exaudi

me, & in die salutis miserere mei.

Miserere mei, miserere mei, nullum aliud auxilium habentis præter te, cuius voluntati nihil resistere potest, dummodò decreueris saluare.

Exaudi me miserum tibi supplicantē, da mihi fiduciam nominis tui, & libera me in manu tua.

Attende de cælo Domine, respice de habitaculo sancto tuo, & de folio gloriæ tuæ.

Ne allidas me in manu iniquitatis meæ, nec obliuiscaris doloris & afflictionis meæ.

Ne irasaris satis Domine, nec recorderis vltra omnis iniquitatis meæ.

Veniat ad te oratio mea, dic animæ meæ: en ego salus tua iam adsum. Amen.

PSALMVS III PRO
peccatorum remissione.

DEVS æternè, iustè, & sanctè, qui custodis pactum & misericordiam cum ijs, qui te diligunt, & mandata tua seruāt.

Respice ad me, & miserere mei, quoniam in te peccaui, & feci malum ante oculos tuos.

Effunde

Effunde super me viscera misericordie
tuæ, vt inueniat seruus tuus cor adoran-
dum te.

Non prosterno preces meas ante fa-
ciem tuam in iustificationibus meis, sed
in misericordijs tuis multis.

Nam ego immundus totus, & quasi
pannus mulieris menstruo pollutæ vni-
uersæ iustitiæ meæ.

Tibi Domine iustitia & misericordia &
propitiatio, mihi autem confusio faciei
propter iniquitates meas.

Certè ab initio superbè egi contra te,
faciens iniquitatem, & non cessans.

Tu redemisti me Domine, sed ego ad-
uersum te mendacia dixi, & cor meum
non fuit rectum coram te.

Tu eruisti me, & confirmâsti brachium
meum, & ante cogitavi malum, factus vt
arcus dolosus.

Et respondit arrogantia in facie mea,
obrutus sum in iniquitate mea, quæro te
Domine, obsecro vt inueniam, diuisus es
à me, quia cupidè post sordes abij.

Veruntamè vias meas coram facie tua
arguam, donec miserearis mei, & reci-
pias me in gratiam tuam.

Absit longè à me vt iterum à te recedam, & promissa tua non exquiram.

Non tacebo, & non dabo silentium, donec confirmes meū fœdus, quod constituisti retro temporibus.

Quod sicut iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit: ita impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.

In hoc expectabo te, Domine Deus, nam bonus es tu in te fidentibus, animæ quærenti te,

Tu seruas veritatem tuam in æternū & quod egreditur de labijs tuis, non fiet irritum.

Ne perdas me Domine propter iniquitates meas, neque in æternum reserves mihi mala.

Aperi oculos tuos, & vide magnitudinem mali mei, multa est enim iniquitas mea in conspectu tuo, & peccata mea responderunt mihi.

Ne redigas me penitus in consumptionem, néue deseras me in peccatis meis, quoniam Deus miserationum, & clemens es tu.

Pœnitentia

Pœniteat te mali, quod in me decre-
ueras, & secundum nomen tuum facito:
quanquam multę sunt defectiones atque
peccata mea.

O Domine Deus meus es tu, & nomē
tuum impositum est mihi, ne derelinquas
me in profundo malorum meorum,

Tu eruisti multos, & manus lassas cō-
fortāsti, nutantē crexerunt sermones tui
& genua incuruata direxisti.

Et propterea requirā te Domine Deus,
qui fecisti magna, imperuestigabilia &
innumerabilia.

Suscitāsti de puluere inopes, abiectos
exaltāsti tuo auxilio.

Tu etenim es, qui liberas pauperem
in miseria ab ore angustię lato, sub quo
nullum est firmamentum.

Tu clemens es & misericors, eò quòd
misereris eorum, qui nondum in secu-
lum venerunt, & multum misericors es
illis, qui versantur in lege tua, & longani-
mus es erga eos, qui peccauerunt, con-
cedens tempus & locum, per quæ pos-
sunt mutari à malitia.

Exaudi me miserum tibi supplican-
tem, quoniam in te, & in nomine tuo fi-

duciam meam posui.

Suscipe seruum tuum in bonum, & ne confundas me ab expectatione mea.

Redi Deus, vt salues animam meam, ne disperdas me, quem redemisti in magnitudine brachij tui.

Ne adspicias duriciem cordis, & impietates meas, sed ignosce mihi in misericordijs tuis multis.

Exaudi Domine, placare Domine, attende, & facias iuxta magnum nomen tuum.

Expecto salutem tuam Domine, omni die ipsa meditatio mea est.

Quoniam misericordix tuæ sunt inmensæ, & innumerabilis bonitas tua.

Audi me iuxta beneplacitum tuum, & diutius ne contineas à me miserationes tuas.

In via iudiciorum tuorum expectabo te erga nomen tuum, & erga memoriam tuam, desiderium animæ meæ.

Inclina cor meum ad faciendum præcepta tua, & dirige vias meas in conspectu tuo semper.

Ne permittas me posthac errare à vijs tuis, nec iam relinquant me in profundo malorum

malorum meorum.

Ne subducas à me oculos tuos, sed instrue me facere, quæ placita sunt in conspectu tuo Domine.

Paciscere mecum fœdus in sempiternum, quod timorem tuum daturus sis in cor meum, vt non deficiam à te omnibus diebus.

In æternum ne auferas à me bonitatē tuam, nec fallas mihi veritatem tuam.

Benefac mihi in beneuolentia tua, misericors enim es, nec irascaris in perpetuum.

Memor esto mei in beneplacito tuo, & visita me in salutari tuo.

Scio quòd tu Deus clemens es & misericors, patiens & multæ miserationis.

Tu bonus ac propitius, seruans pactū & misericordiam cum seruis tuis, qui ambulat coram te in toto corde suo.

Nec est alius præter te Deus, cui cura est de omnibus.

Magna siquidē semper fuit in me misericordia tua, eripiens animam meam de inferno profundo.

Sit semper bonitas mecum tua Domine: nam à te pendet omnis mea salus.

C

In tempore angustiae te inuoco Domine, quoniam propè es ijs, qui inuocāt nomen tuum sanctum.

Succurre mihi Deus, illumina vultum tuum super me, in te confidit anima mea, de te exaltat cor meum.

Perueniat ad thronum tuum precatio mea, inclina aurem tuam clamori meo.

Exaudi poenitentiam Domine, quem vt resipisceret, cum patientia hucusque misericorditer expectasti.

O Deus, vitam meam annunciaui tibi, saluum me fac propter nomen tuū, quoniam in te speraui.

Quid mihi superest in terra? hoc vno tantum indigeo, vt inueniam gratiam in conspectu tuo.

Quamobrem obsecro Domine Deus, eripe mihi hunc dolorem, aut minue saltem aut consolatione, aut consilio, aut quocunque tibi modo rectè visum fuerit. Amen.

*PSALMVS IIII. QV AERITVR
quod à peccatis premitur & superatur.*

Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ

miserationis ac verax.

Qui propter nimiam charitatem tuam
& secundum misericordiam tuam ma-
gnam, eripuisti nos de potestate tenebra-
rum, & saluos fecisti per lauacrum rege-
nerationis, & renouationis Spiritus san-
cti, quem effudisti in nos abundè per Ie-
sum Christum Saluatorem nostrum:

Si inueni gratiam in conspectu tuo,
permittle me loqui verbum ad te, & non
irascaris mihi.

Quare in perpetuum obliuisceris me?
& deseris me in medio malorum meo-
rum?

Vbinam est zelus tuus, & fortitudo
tua? vbi multitudo viscerum tuorum &
miserationum tuarum?

Nunquid, qui cecidit Domine, non re-
surgat? aut, qui aduersus est, non reuer-
tatur?

Num dolor meus erit perpetuus? num
desperabilis plaga mea nunquam cura-
bitur?

Quis fit, vt auertar auersione perpetua?
augefcit mihi peccatum meum, nec pos-
sum reuerti.

Quum non sit homini datum, vt vias

suas dirigat, & gressus suos perfectos reddat.

Siquidem in manu tua est anima omnis uiuentis, & spiritus uniuersæ humane carnis.

Tu misericordiam tuam ostendis quibus uolueris, & clemens es, in quos animum habes.

Tu mortificas & uiuificas, deducis ad portas inferi, & reducis.

Oculi tui super uias uniuscuiusque, & corda hominum scrutaris.

Non sunt tenebræ neque obscuritas, ut abscondât se illic, qui faciunt iniquitatem.

Nec in latebris occultabit se quisquam quin tu respicias eum, cum cælum ac terram undique imples.

Quare proiecisti me à facie tua, & reputas me inimicum tibi?

Cur nam appendisti pondus peccatorum super caput meum, cum iram tuam nullus ferre potest?

Quid est, quod contra miserum potestiam tuam ostendis? ut quid deuastes me propter peccata adolescentiæ meæ?

Si peccauerim, quid faciam tibi? & si
multipli-

Multiplicatæ fuerint impietates meæ,
quid agam tibi?

Si iustè egero, quid dabo tibi, aut quid
tandem de manu mea accipies?

Mihi impietas mea nocebit, & iustitia
tua mihi proderit.

Tentatio est vita hominis super terrā,
& si (quemadmodum omnes) ego pecca-
uerim, quid possum facere?

Nunquid mundus erit homo corā te,
aut in operibus suis irreprehensibilis vir?

Quidnam est mortalis, quod purus
esset in conspectu tuo, aut quod iustifica-
retur natus mulieris?

Memento obsecro Domine, quod ex
luto finxeris me, & rursus in puluerem
mortis reduces me.

Dies mei sicut fumus euanescent, con-
sumuntur quotidie, nulla mora, quasi vē-
tus vita mea fugit, nec vidit bonum.

Iam pridem natus eram, moxq; mor-
ti cedam, nunquam in eodem consisto
statu.

Dies vitæ meæ breues sunt, terminum
statuisti, quem non transibo.

Nudus egressus sum de ventre matris
meæ, illicq; nudus reuertar, certè vani-

tas omnis homo viuens.

Misereat te Domine miserorum, & opera manuum tuarum ne contempnas.

Etenim si peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam, & si non peccauerimus, certum est, quod apud te simus computati.

Domine Deus, cesset à me indignatio tua, & proijce post tergum omnia peccata mea.

Remoue à me plagas tuas, ab exagitatione manus tuæ ego defeci.

Etenim dum tu hominem propter iniquitates castigas, ilicò tabescere eū facis.

Perit in eo quicquid desiderabile est, sicut vestem depascit tinea.

Vtinam esset qui me paululum protegat, donec conuertatur ira tua: aut tu cōstituas mihi tempus, in quo recordaberis mei.

Abiectus sum ex oculis tuis, nonnunquam posthac video faciem tuam.

En super me effunditur anima mea, apprehenderunt me dies doloris mei.

Torrétes tribulationis inuoluunt me, & gurgites furoris tui super me pertranseunt.

Et clamo

Et clamo ad te Domine Deus, at non
exaudis: misericordiam peto, sed preces
meas excludis.

Quare miserum à facie tua detrudis?
cur deseris tanto tempore?

Quare non aufers iniquitatem meam,
& tollis impietatem cordis mei?

Conturge, ne cessa diutiùs Domine,
excita te, ne depellas perpetuò.

Memorare mei obsecro: nam pauor
occupat me et tremor, totùsque in me
exterritus sum.

Veruntamen non prohibeo os meum,
quin ad te loquar in mœrore spiritus
mei.

Deflecte à me vltionem, & animum
meum parumper à molestijs abducas.

Peregrinum hic ago, sicut omnes alij
mortales.

Et quid est homo, vt ei indigneris? aut
genus corruptibile, vt ita amarus sis erga
ipsum?

Nunquid addes dolori dolorem? an-
helans laboro, & requiem non inuenio.

Antecibum dolor meus me cruciat,
& adoriuntur in me, sicut aquæ, suspiria.

Tanquam ossa mea confringerentur

est mihi, cum probris adficiunt me inimici mei, dicentes ad me omni die, vbinam est Deus tuus?

Quare ad hæc faciem tuam abscondis Domine, nullam habens afflictionis meæ rationem?

Effundo quotidie preces meas in conspectu tuo, & mœrorem meum coram te pronuntio.

Anxius est in me spiritus meus, in me desperandum est cor meum.

Placétne tibi Deus, vt reprobes laborem manuum tuarum?

Libera animam meam, ne abeat in corruptionem, & vita mea non videat lumen.

Quid proderit quòd vnquam natus fuerim, si mox demander in perditionem æternam? quum non mortui laudabunt te, neque omnes qui descendunt in infernum.

Peccaui: quid faciam tibi? quare posuisti me contrarium tibi? & factus sum mihi met ipsi molestus?

Quid tam exactè iniquitatem meam quæris? quum nemo sit, qui de manu tua possit eripere.

Si

Si iustum me dixerim, meritò me condemnare ad ignem paratum.

Sed ego peccatorem me confiteor, & humilio cor meum in conspectu tuo.

Certè si cui placuerit contendere tecum in iudicio, non respondebit vnum pro mille.

Hinc fit vt verear omnia opera mea, sciens quòd delinquenti non parces.

Si ad potentiam tuam respexero, ò quàm robustus es! si ad iudicium prouocauero, quis pro me causam dicet?

Ad te Domine vociferor, tibi supplico, ò mi Deus.

Quiescat à me ira tua, vt intelligam, quòd sis mihi magis propitius, quàm peccata mea ferant.

Quæ est fortitudo mea, vt perdurem? aut quis finis, vt patiens sit anima mea?

Virtus mea non est virtus lapidea, nec ænea est caro mea.

Nónne potius nullum in me auxiliũ, & robur meum à me fugit?

Et licet abscondas hæc in corde tuo, noui tamen, quod tandem recordaberis mei.

Verus enim & iustus tu Domine Deus,

non iniuste condemnas, qui opus suum homini rependis.

Totum hoc accidit mihi, quod oblitus sum tui, & perfide me habui in testamento tuo.

Deflexit retro cor meum, & sequutus sum desideria carnis meae.

Et tu exploratum hoc habuisti, qui noveris recondita cordis.

Ne imputes mihi Domine peccata adolescentiae meae, nec veterem iniuriam in memoria teneas.

Obruit me quotidianus dolor, & moestitia cor meum occupat.

Expecto pacem, at res nihilo meliores se habent, tempus sanitatis, sed ecce timor.

Et praeterijt tempus irae tuae, venit misericordia, ego autem infelix sum magis ac magis.

Heu mihi quod peccaui, idcirco moeret cor meum, & desijt gaudium meum.

Quo modo vastatus sum! quam misere confusus! quoniam dereliqui legem tuam.

Ascendit mors per fenestras, penetrans ad interiora cordis mei.

Dum

Dum quotidie nunc tacitus mecum cogito, nunc voce infremo, vita mea inferno propinquat.

Quis dabit mihi diuorsorium à molestijs, & deseram homines, atque ab eis recedam?

Quis dabit aquam capiti meo, & oculis meis fontem lachrymarum, vt noctu diuque peccata mea defleam?

Et expectabo eum, qui me saluare potest, & eripere ab ira ventura.

Non est mihi videndi neque moriendi fiducia, iudicium tuum vereor ô Deus, & pœnas paratas impij.

Pauor peccati sollicitat me, & pondus conscientiaë meæ me premit.

Amator hominum Deus, & iudex æquissime, parce mihi obsecro modò dum tempus est.

Remitte quod timeo, dele quod vereor, prius quàm abeam, & posthac non subsistam.

Peccata mea me supra modum cruciant, quibus maiora esse quæ possunt?

Eheu contritionem meam, & dolorem plagæ meæ: certè hæc iniquitas mea est, & reputabo, & feram. Amen.

Domine Deus misericordiæ, qui omnia verbo tuo fecisti, & sapientia tua constituisti hominem:

Deus æterne, & absconditorum cognitor, qui omnia noueris prius quam fiunt:

Aperi labia mea, & os meum, vt nuntiem laudes nomini tuo.

Cor nouum & spiritum rectum intra me pone, omnemque desiderium prauum procul à me repelle.

Stultus sum ego Domine, & rerum ignarus, & scientia tua non est mecum.

Nescio ego nec intelligo, quoniam hebetudo tanta, vt non videant oculi mei, & cor meum non cognoscat.

Etiam puer sum & paruulus, ignorans ingressum & exitum meum.

Vir pollutis labijs ego, exiguique temporis, & minor ad intellectum legis tuæ.

Da obsecro cor docile seruo tuo, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.

Mitte de cælo spiritum sapientiæ tuæ, & sensu illius cor meum imple.

Sapientia tua dat veram scientiam, &
 ex ore

ex ore tuo consilium & intelligentia.

Sapientia tua os mutorum aperit, & linguas infantium eloquentes reddit.

Si quis videtur perfectus inter filios mortalium, si tamen effugerit ab illo sapientia tua, in nihilum computabitur.

Hominibus thesaurus indeficiens est sapientia tua, qua, qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.

Quàm bene se habet homo ille, qui ingeniosus est, & qui animam sortitus est sapientia præditam.

Quisnam inter homines consiliū tuum noscit? aut quis poterit cogitare quid velis tu?

Sensum tuum quis intelligat, nisi tu dederis sapientiam illi, & instruas eum per spiritum tuum sanctum?

Nam rationes hominum in multis deficiunt, & parùm securæ adinventiones eorum.

Corruptibile enim corpus animum grauat, & terrenum domicilium retardat mentem multa cogitantem.

Supernè consilium & successus, & illic prudentia ac etiam virtus,

Tecum sunt diuitiæ & gloria, opes in;

corruptibiles & iustitia.

Qui te inuenerit, inuenit vitam, & te qui non amat, diligit mortem.

Domine Deus tange os meum, vt recedat iniquitas mea, inhabita cor meum, vt peccata mea purgentur.

In maleuolam animam sapientia non intrat, nec manebit in corpore, quod peccatis subditur.

Doce me Domine Deus ne augetur ignorantia mea, & delicta mea multiplicentur.

Spiritus me doceat quæ tibi placita sunt, & ducat in viam rectam: nam in erroris via diutiùs erraui.

Firmetur sapientia in animo meo, & legem tuam in corde meo scribe,

Super omnia quæ speciosa sunt & pulchra, sapientiã desidero, in comparatione illius diuitias non æstimo.

Quàm amo sapientiam tuam Domine, quæ vnica meditatio mea est!

Quàm dulcia cordi meo eloquia tua! multò magis quàm melori meo.

Verbum tuum pedibus meis lucerna est, & vijs meis lumen.

Magis mihi placet sapientia tua, quàm

millia auri vel argenti.

In via sapientiæ tuæ delector magis,
quàm ingenti diuitiarum copia.

Vtinam dirigantur viæ meæ, vt sapi-
entiam tuam, & sermones tuos discam.

Eloquium tuum ignitum est, hinc fit,
vt vehementer illud cupiam.

O beatum illum quem tu instruis Do-
mine, & in lege tua doctum facis!

Anima eius sapientiam meditabitur,
& lingua eius loquetur iudicium.

Lex Dei in corde suo scribetur, & non
supplantabuntur gressus eius.

O Domine Deus salutis meæ, exaudi
preces meas, & lingua mea misericordias
tuas semper loquetur.

Da sedium tuarum ad sinistram sapien-
tiam, vt bonum & malum discernere pos-
sim, & occulta tua cognoscam.

Reuela oculos meos, vt admiranda
perspiciam, quæ in tua lege sunt.

Memor esto Verbi tui te inuocantis,
nam in illo spem meam posui.

Viam sapientiæ notam fac mihi, &
scientiam tuam ne celes à me.

Fac mecum iuxta misericordiã tuã, &
ne confundas me ab expectatione mea.

Rectè sapere & intelligere doceto me,
nam sapientia tua totum quod volo.

Da verbum tuum in ore meo, & in
corde meo sapientiam tuam fige.

Sapiètia tua cogitationes meas reget,
vt placeant coram oculis tuis semper.

Mirabilia sunt eloquia tua, quapropter
delectatur in eis anima mea.

Sapientia tua perfecta est, scientia tua
lucida, & oculos illuminans.

Amabilia super aurum & gemmas,
& dulciora quàm mel de fauo.

Sapientia tua immaculata, animas cõ-
fortans, eloquium tuum verax, intelle-
ctum docens paruulos.

Quando sciet errans spiritu intelligè-
tiam? & ignorans doctrinam discet?

Quando effundetur de excelso spiri-
tus tuus? quando cor inspicientis scien-
tiam callebit? quando lingua balbutiens
diserta erit?

Paruulus & insipiens sum Domine,
auxilio sit mihi manus tua fortis.

Noui quòd omnia potes, & nihil est
tibi difficile.

Tu magnus es incognoscibilis, & sa-
pientiæ tuæ nullus est numerus.

Annun-

Annuntiaui coram te causam meam,
fac cum seruo tuo iuxta magnam miseri-
cordiam tuam.

Respice ad me, & miserere mei, vt
hoc, quod credens per te posse fieri cogi-
to, perficiam.

Viam sapientiæ tuæ notam fac mihi,
& intellectu illius cor meum imple.

Vocem meam audi secundum miseri-
cordiam tuam Domine, secundum iudi-
cium mecum agito.

Da gloriam nomini tuo Domine, tu
enim solus es bonus & sapiens, & non
est alius præter te Saluator.

Exaudi me Domine propter nomen
tuum, & ne contineas à me misericor-
diam tuam.

Eructabunt labia mea laudem, cum
docueris me sapientiam tuam.

Tum enarrabo mirabilia tua, vt alij
etiam ad te conuertantur.

Et benedicant nomen tuum in sempi-
ternum, & in seculum seculi, Amen.

PSALMVS SEXTVS

vt exaudiatur à Deo.

Domine, exaudi preces meas, & cla-
mor meus ad te perueniat.

D

Ne auertas faciem tuam à me, in die tribulationis meæ.

In quacūque die te inuocauero, exaudi me, ô Domine Deus.

Magnus enim es tu, & admiranda faciens: tu es Deus solus.

Magna etiam sunt opera tua, nimis profundæ cogitationes tuæ.

Inclina ad me aurem tuam, & exaudi me, inops enim & pauper ego sum.

Miserere mei Domine, ad te enim, cū angustia mihi imminet, confugio.

Lætifica animam serui tui, quoniam ad te animam meam leuauit.

Tu Domine bonus es & propitiabilis, ac multæ misericordiæ omnibus te inuocantibus.

Exaudi orationem meam, & preces meas clementer suscipe.

In te confido, Domine Deus, obsecro vt non confundar, in tua iustitia eripe me.

Intende voci clamoris mei, ô Rex meus & Deus meus, quoniam tibi supplico.

Audi vocem meam, qua te inuoco, miserere mei, & salua me.

Preces

Preces meæ semper ad te Domine, si
quando venerit tempus beneplaciti tui,
Deus in multitudine misericordiæ tuæ, vt
exaudias me in veritate salutis tuæ.

Attende mihi Domine, quoniam sua-
uis est misericordia tua, secundum mul-
titudinem miserationum tuarum respi-
ce me.

Ne longè abeas à me, ò mi Deus, in
auxilium meum festina.

Verba mea grata tibi sint, accepta sit
coram te meditatio cordis mei.

Et ne auertas faciè tuam à seruo tuo,
tribulatio vndique mihi imminet, adiuua
me.

Te desiderat cor meum, quærit te ani-
ma mea, faciem tuam expecto.

Ne auertas vultum à me, ne reijcias
per iram seruum tuum, auxilium mihi
fuiſti ſemper, ne deſeras me iam in an-
guſtijs meis, ò Domine Deus.

Ad te quotidie clamo, ne deſilcas à
me, ne obſurdeſcas mihi.

Ingrediatur coram te precatio mea,
clamor meus ante te veniat.

Exaudi me Domine, animum enim
meum extollo ad templum ſanctū tuum.

Da auxilium in tribulatione, quia vana est salus ab homine:

Expecto adiutorium tuum Domine, & iudicia tua voluntas mea.

Respice ad me, & miserere mei, quia solus pauper sum ego.

Domine Deus exercituum, si velis, potes me iuuare, fortitudinem tuam nihil superare potest.

Eli, Eli, ne deseras me in angustijs meis, propter nomen magnum tuum.

Deus ad liberandum me, Domine, in auxilium meum festina.

Placeat tibi vt eripias me, quia in te confido Domine Deus.

Ecce non est auxilium mihi in me, nec est qui respicit ad necessitatem meam.

Pauper sum ego, & in miserijs ac calamitate multa, & robur meum a me recessit.

Excita te Domine, & manifestetur seruo tuo gloria tua.

Veniat ad me salus tua, vt pudefiant inimici mei.

Tuum brachium potens est, & quum volueris, omnia tibi subsunt.

Tui

Tui sunt cæli, etiam tua est terra, orbē
& plenitudinem eius fundâsti.

Fiat misericordia tua vt me consoletur,
certè optabiliorem hac vita longè
eam duco.

Adhæreo testimonijs tuis Domine, no-
lime confundere.

De profundis te inuoco Domine, Do-
mine exaudi vocem meam.

Aures tuæ attentæ sint in vocem pre-
cationis meæ.

Commisa mea si imputes Domine,
quomodo possum gratiam tuam expe-
ctare?

Sed misericordia tua omnia excellit,
& veritas cælos superat.

Et idcirco anima mea ad te respicit, &
preces tibi suppliciter fundit.

Deus. ne taceas, ne fileas, propter te-
metipsum facito, vt non polluatur no-
men tuum sanctum.

Protrahe misericordiam tuam te in-
uocantibus, & iustitiam ijs, qui te quæ-
runt.

Projeci super te onus meum, sustenta
me, ne des in æternum fluctuationem in
te confidenti.

Adhæret anima mea post te, corroboret me dextera tua contra potētiam inimicorum meorum.

Exaudi me Domine, & eripe me, inclina aurem tuam ad preces meas, & salua me.

Quoniam egenus sum ego, Domine, curam habe mei, auxilium meum, & saluator meus tu es Domine Deus.

O Deus, sancta & iusta est via tua, quis Deus magnus, sicut tu Deus noster?

Tu es qui facis mirabilia, nomen tuum est Dominus, tu solus altissimus super omnem terram.

Placatus sis erga seruum tuum, & ne faciem tuam diutiùs à me abscondas.

Benefac mihi in bonitate tua, vt glorier de te omnibus diebus vitæ meæ.

Gestiunt labia mea, vt tibi canam, æquè & anima mea, quam redemisti.

Cor meum omni tempore meditabitur iustitiam tuam, cum confusi sint, qui malum mihi quærunt.

Et viam mandatorum tuorum percurram, quùm dilataueris cor meum.
Amen.

PSAL.

AD te Domine Deus animum leuo
In te cōfido Domine Deus, ne con-
fundar, ne lætentur de me inimici mei.

Vias tuas Domine notas fac mihi, se-
mitis affuefacito me.

Dirige in veritate tua, & instrue me,
quia tu es Deus Saluator meus, te expe-
cto omni die.

Dulcis & rectus tu Domine, & pro-
pterea reducis errantes in viam tuam.

Dirigis mansuetos in iudicio tuo, do-
ces mites testimonia tua.

Tu sanas contritos corde, & dolores
eorum mitigas.

Sustentas omnes qui casuri sunt, & o-
mnes collapsos erigis.

Tu das visum cæcis, & soluis vinctos.

Propè es omnibus qui te inuocant,
dummodò te inuocent in veritate.

Voluntatem timentium te facis, &
preces eorum exaudis, eosque saluas.

Miserere mei Deus, miserere mei,
quia in te confidit anima mea.

Certè ad te respicit anima mea, à te e-
nim salutare meum, gloria mea, & robur

fortitudinis meæ.

Propter te ipsum Domine Deus,
ne imputes mihi peccata mea.

Errores omnes non intelligo, circum-
uoluunt me mala, quorum non est nu-
merus, apprehenderunt me iniquitates
meæ, & videre non possum.

Sit manus tua mihi in auxilium, & di-
rigat me in omnibus operibus meis.

Perfice gressus meos in vijs tuis, vt
non dominetur mei omnîs iniquitas.

Pone custodiam ori meo, & serua o-
stium labiorum meorum.

Sint placentes sermones oris mei, &
meditatio cordis in cōspectu tuo semper.

Ne recedat de ore meo sermo verita-
tis, & cor meum malitia non inhabitet.

Domine, erue animam meam à labijs
mendacij, & à lingua dolosa libera me.

Verbum verum & sanctum insere in os
meum, & otiosos sermones longè à me
semoueas.

Redime me à calumnijs hominû, se-
cundum iudicium tuum moderare me.

Auerte oculos meos ne vana videant,
in via tua illos fige.

Fornicationem & immunditiam om-
nem

nem aufer à me, & amor carnis non me decipiat

Etiā à superbia libera animam meā, ne dominetur in me, & tunc immaculatus ero à peccato maximo.

Ab omni via mala prohibe pedes meos, ne deflectāt vestigia à semitis tuis.

Oculi mei ad te Domine, quoniam propè es, & omnes viæ tuæ veritas.

Misericordiæ tuę multæ Domine, beatus ille quisquis in te confidit.

Ego enim cum dicerem tibi, moti sunt pedes mei: misericordia tua Domine statim sustentauit me.

Doce me facere voluntatem tuam, & deduc me per semitam rectā, quia Deus meus es tu.

O Domine, salua animam meam, & de potestate tenebrarum redime me.

Illumina faciem tuam super seruum tuū, quia ad te confugi ô Domine Deus.

Respice ad me, & miserere mei, quia solus & pauper sum ego:

Custodi animam meam & eripe me, ne confundar, quoniam in te speravi.

Domine Deus, ne derelinquas me, quanquam nihil boni fecerim coram te.

Præsta mihi pro bonitate tua, saltem
modò assumere initia bene viuédi. Amen

PSALMVS VIII. VT

protégatur ab inimicus.

Deus omnipotens, serua me ab ini-
micis meis, & in virtute fortitudinis
tuæ protege me.

Custodi animam meam quoniam san-
ctus es tu, saluum fac seruum tuum, qui in
te confidit.

Alieni enim quotidie me oppugnât, &
animam meam quærunt, vt perdât eam.

Deus adiuua me, Domine ab insur-
gentibus libera me.

Deus in adiutorium meum intende:
Domine vt me iuues festina.

Esto mihi in protectionem, & in locum
munitum, vt saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium
meum es tu, propter nomen tuum de-
duc me, & dirige me.

Mi Deus, eripe me de manibus inimi-
corum meorum, ne proijcias me in tem-
pore tribulationis, cum omnis defecit
mea virtus.

Adiuua me Domine Deus, & salua me
propter misericordiam tuam.

Miserere

Miserere mei, ô Domine Deus salutis
meæ, & in iustitia tua eripe me,

Ab infestatione me persequentium, ab
hostili cursu, qui me vndique obcingunt.

Confundantur & deficiant, qui ani-
mæ meæ aduersantur, operiantur op-
probrio & confusione, qui malum mihi
quærunt.

Reuertantur cum ignominia multa illi
qui dicunt, Deus deseruit eum, persequa-
mur & comprehendamus: nam non est
qui eripiet.

O Deus adiunge te animæ meæ, con-
forta eam, ab inimicis meis eripe me.

Disperde illos in virtute tua, & forti-
tudinem illorum confringe.

Ne dicant inter se, hunc superauimus,
& omnino deiecimus.

Saluum me fac Domine Deus, in te
enim speravi, dic animæ meæ, ne metuas,
quia ego tecum sum.

In manu tua fors mea, libera me ab i-
nimicis meis, quoniam adhuc non ces-
sant.

In dies augetur sæuitia eorum, & cœ-
tus robustorum irruunt in me, & non po-
nunt te in conspectu suo.

Sed tu Domine Deus, misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis ac verax.

Respice ad me, & miserere mei: da fortitudinem tuam seruo tuo, quoniam te inuoco, & effundo preces meas in conspectu tuo.

Hostes mei exultant, eo quòd lapsus sum, & deflexit cor meum à via tua.

Sed ego in misericordia tuo confido, de salute tua cor mihi gaudet,

Quoniam bonus tu es, in æternum misericordia tua, & vsq; in generationem & generationem veritas tua.

Exultent & lætentur in te, omnes qui te quærunt: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutē tuam.

PSALMVS NONVS

contra inimicos

Domine, ecce quàm multi sunt qui me tribulant, quàm multi qui contra me insurgunt.

Dicunt inter sese de anima mea, quòd à Deo non est ei salus speranda.

Domine Deus, in te spem meam posui, salua me ab ijs, qui me persequuntur, & eripe me.

Ne

Ne fortè aliquando rapiant animam
meam, & nullus sit qui eripiat.

Mei te misereatur Domine, respice af-
flictionem quam patior ab inimicis meis.

Ne tradas in obliuionem pauperem
tuum, expectatio oppressorum ne pereat
in æternum.

In fugam conuerte eos, decidant à
consilijs suis, iuxta nequitiam suam præ-
cipita eos, nam rebelles tibi sunt.

Consumantur vires eorū, & peruerfi-
tas ipsorum in caput suum descendat.

Reuertantur impij ad infernum, ca-
pianur in fouea, quam perfoderunt.

Ego autem in te sperabo, qui saluos
facis in te confidentes.

Illi dicunt, quòd tu tuorum obliuifce-
ris, abscondis faciem tuam, vt non videas
afflictionem eorum.

In superbia illorum persecutionem
patimur, & in malo nostro vehementer
gloriantur.

Quousque Domine persistes à longè?
& te abscondes in angustia tempore?

Quousque tandem contemnent te
impij, & in corde suo dicent, quod nihil
cures?

Surge Domine, extende manum tuã,
ne obliuiscaris eorum, qui oppressi sunt.

Contere fortitudinem malignantium,
vt simul cum impietate sua pereant.

Irruat in eos zelus tuus, ardentia ful-
mina, & spiritus turbinis portio partis eo-
rum.

Præueni me in die afflictionis meæ, &
de angustijs meis eripe me.

Miserere mei, quoniam vndique pre-
mor, & virtus mea in iniquitate mea di-
minuitur.

Apud inimicos meos opprobrium sum
factus, vt perdant animam meam, toti
incumbunt.

Circundant me dolores mortis, & tor-
rentes iniquitatis me conturbant.

Funes inferni cingunt me, & impli-
cant me laquei mortis, & qua parte iter
agendum est, offendicula inuenio.

Eleua te Deus, supplicium sume de gen-
te peruersa, ab inimicis fraudulentis eri-
pe me.

Exaudi me in die tribulationis meæ,
protegat me numen magnum tuum.

Quoniam tu es propugnator meus, &
gloria mea, & sustentans infirmitatē meã.

Obsecro

Obsecro Domine salua me, vt non
præualeant aduersum me inimici mei.

Effunde super eos indignationem tuã,
& ira furoris tui eos conturbet.

Confundantur vsque in æternum, cõ-
tremiscant & pereant simul.

Cadant in puteum profundum, & non
apponant vt resurgant.

Vt cognoscant, quod nomen tibi Do-
minus exercituum, solus potens & ex-
cellus in secula seculorum, Amen.

PSALMVS X. QVVM VSQVE

*adeo inimici seuiant, vt ferre
non possit.*

Miserere mei Deus, quoniam con-
culcat me inimicus, sine intermis-
sione oppugnans coarctat me.

Absorbere me cupit omni tempore, &
multi sunt, qui superbè mihi insultant.

Cogunt se pariter & abstrudunt, la-
tenter vestigia mea obseruant, quo mo-
do animam meam capiant.

Similes sunt leoni prædæ auido, & si-
cut catulus leonis ex occulto insidiantur.

Itinera mea obsident, & oculos suos in
miserum obuertunt.

Rece parauerunt pedibus meis ad in-

curuandum animam meam, profundam
foderunt foueam.

Deus corrobora me in virtute tua, po-
ne perfectam coram te viam meam.

Sustenta gressus meos in semitis re-
ctis, ne fortè labascant pedes mei.

Afflictus sum vsque ad saturitatem,
adiuua me propter insidiatores meos.

Mirabilem fac in me misericordiam
tuam, & eripe animam meam de mani-
bus eorum.

Absconde me à conuentu malignan-
tium, à tumultu operãtionum iniquitatem.

Secundum misericordiam tuam viui-
fica me, ne tristis deiciar sæuiente in me
inimico meo.

Mitte lucem tuam, & veritatem tuam,
ipsæ me ducent ad montem sanctum
tuum, & in tabernacula tua.

Instrue manus meas ad bellum, com-
pone quasi arcum æreum brachia mea.

Accinge me fortitudine ad prælium,
prosterne insurgentes in me subtus me.

Instrue me in via qua ambulem, con-
sule super me oculo tuo.

Concide ante faciem meam hostes
meos, & odio me habentes disperde.

Ne

Ne superent me inimici mei, & coetus
robustorum non obruant me.

Pone stabiles pedes meos, & rectas
facito semitas meas.

In defectione mea lætantur, collecti
sunt aduersum me, percutiunt, & non
nouerim vt interficiant in via.

Omni die verba mea execrantur, con-
tra me vniuersæ cogitationes eorum in
malum.

Anima mea quasi in medio leonum fe-
rocientium, quorum dentes velut lanceæ,
& lingua vt acutus gladius.

Et quis stabit pro me aduersus omnes
istos? aut quis expugnabit operantes ini-
quitate?

Ab increpatione tua Domine fugient,
& vocem tonitru tui præcipites ruent.

Qui respicis terram, & tremis tota
tangis montes, & fumant.

A facie tua iudicium prodit, oculi tui
æquitatem probant.

Custodi me Domine ab inimicis meis,
sub vmbra alarum tuarum protege me.

Iudica mihi nocentes, pugna contra
oppugnatores meos.

Abeant retrorsum, qui me persequun-

E

tur: opprobrium ferant, qui malum mihi volunt.

Sint sicut puluis ante faciem venti, & angelus tuus eos exagitet.

Sicut propellitur fumus, euanescant: sicut liquefcit cera à calore ignis, sic pereant illi à facie tua Domine.

Confringe eos, vt non possint confisteri, ne cesses, donec eos deleueris.

Sint viæ eorum obscuræ ac lubricæ, & angelus tuus eos virgeat.

Et tu Domine Deus miserere mei, opem mihi ferto, & resistam eis.

Ego enim infirmus sum & dolens, & salus tua me suscipiat.

Corrigat & castiget me dextera tua, inimicis autem meis ne me tradas.

Multum repleta est anima mea, & derisione me infestantium, & contemptu superborum.

Deiecta est in me anima mea, aduersum me fremit, sed ego sperabo in te, quoniam iterum pro salute mea reddita, gratias agam tibi.

Propter veritatem tuam adiuua me, ô salus mea, spesque omnium finium terre & maris immensi.

Qui

Qui virtute tua ab æterno imperas, oculi tui omnia contemplantur.

Quis Deus præter te? quis fortis sicut tu Deus noster?

In umbra alarum tuarum sperabo donec prætereat malitia.

In te fortis ero, & securus in sempiternum, & in seculum seculi, Amen.

PSALMVS XI. DE

fiducia in Deum.

Domine lux mea, & salus mea, à quónam metuam?

Domine fortitudo vitæ meæ tu, in quo semper sperabo.

Quemadmodum enim ceruus ad riuulos aquarum, sic desiderat anima mea ad te, ô Deus.

Sitit ad te anima mea, quoniam apud te est fons vitæ, & refrigerium in tribulatione.

Hic labor atque dolor, calamitas atque miseria.

Quotidie bellum cum inimicis, nulla requies nec pax in vita nostra.

Sed quisquis in adiutorio tuo fiduciam posuit, securus protectione tua in æternum consistet.

E. ij

Is tibi dicet, susceptor meus es tu, & refugium meū, Deus meus in te sperabo.

Tu liberabis me de laqueo venantium & à periculis persequentium.

Sub scapulis tuis vmbra ei facies, & sub alis tuis illæsus erit.

Scuto circumdabit eum veritas tua & malum ad eum non appropinquabit.

Et propterea, si inimici mei aduersum me prælientur, vt me totum deuorent, terga minimè vertam.

Si steterint aduersum me castra potētium, non timebit cor meum, si ingruat mihi mors, in te securus ero.

Tu abscondes me in tabernaculo tuo, in die malorum abscondes me in secreto tentorij tui, super petram me constitues.

Leuabis me supra inimicos meos me circumuallantes, & de manibus eorum eripies.

Si ambulauero in medio tribulationis, me custodies aduersus inimicos tuos, manum tuam extends, & dextera tua me saluabis.

Domine, tu omnia pro me perficies, ò Deus, in æternum misericordia tua, opus manuum tuarum non despicias,

Educes

Educes me de reti, quod expanderunt
pro me inimici mei, & de fouca eorum
me subduces.

Quanta sunt bona, quæ reponis ijs
qui te timent, quæ ostendis etiam confi-
dentibus in te coram filijs hominum!

Occultas eos in occulto vultus tui, à
conturbatione hostium, & à contentio-
nibus eorum.

Quàm preciosa est bonitas tua Domi-
ne! & filij hominum in vmbra alarum
tuarum sperabunt.

Saturabuntur ab vbertate domus tuæ,
& torrente deliciarum eos potabis.

De fonte vitæ tecum bibent, & in tuo
lumine lumen videbunt.

Iustitia tua sicut montes altissimi, &
iustitia tua abyssus multa.

Cælos pertingit misericordia tua, &
vsque ad cælos veritas tua.

Deus tu refugium fuisti nobis, à ge-
neratione in generationem.

Prius quàm fundamenta terræ iace-
rentur, à seculo & vsque in seculum tu
es Deus.

Deus meus tu opem mihi tulisti à
iuuentute mea, & vsque ad senectam &

canos, ne derelinquas me.

Fortitudinem meam adscribam tibi, quoniã tu es protectio mea, Deus meus, & Saluator meus.

Et ideo quacunque die territus fuero, ego in te confidam.

In quacunque die te inuocauero, scio quod Deus meus es tu.

In æternum custodi mihi misericordiam tuam, & fœdus tuum fidele mecum perster.

Et si deseruerim legem tuam, & in iudicijs tuis non ambulauerim:

Si statuta tua prophanauerim, & præcepta tua transgressus fuerim:

Iam virga tua visita præuaricationes meas, & verberibus tuis scelera mea.

At misericordiam tuam à me ne tollas, neque fidem tuam irritam reddas.

Ne scindas fœdus quod nobiscum iniisti, & quod egressum est de labijs, ne immutes.

In te enim salus & gloria nostra consistit, Deus adiutor nobis, in quo semper speramus.

Et hoc certum est, quòd omnes qui in te confidunt, non confundentur.

Quis

Quis enim sperauit in te, & confusus est? aut quis inuocauit te, & despexit illum?

Propter nomen tuum Domine remittis peccata nostra, licet multa sint & grandia.

Tu firmamentum es timentibus te, & testamentum tuum illis ostendis.

Et ego ad te clamo Domine, & credo quod saluabis me propter magnam misericordiam tuam.

Redimes in pace animam meam ab ira, quae ventura est in extremo die.

Immolabo tibi hostiam laudis, & reddam Altissimo vota mea.

Me expectant impij, vt perdant me, sed ego in misericordia tua confido.

Protector meus, & scutum meum es tu, Deus meus fortitudo mea, refugium meum, & liberator meus.

Expecto salutem tuam Domine, beatus homo qui in te confidit.

Quanta mihi in caelis Domine, vt nihil praeter te placeat in terra?

Tibi adherere peroptime mihi placeat, & in te fiduciam meam collocare.

In manus tuas Spiritum meum com-

mitro, redime me de potestatibus re-
brarum seculi huius, Amen.

PSALMVS XII. SI DEVS

*paulò diuinius auxilium suum
differat.*

DEus meus, Deus meus, ecquare me
derelinquis? cur non respicis ad ne-
cessitatem meam?

Nunquid deficiet in æternum miseri-
cordia tua? num vnquam placidus eris
vltrà?

Quousque indignaberis mihi Domi-
ne? ane penitus accendes velut ignem
iram tuam?

Quando tandem respicies, vt eripias
animam meam, à deuastatione inimico-
rum vnicam meam?

Vsquequo clamabo, & non exaudies?
vociferabor ad te vim patiens, & non
saluabis?

Domine Deus exercituum, quousque
irasceris super precibus serui tui?

Redi ad me, ô Deus Saluator meus, &
solue tuam erga me indignationem.

Deus, tu conuersus omnia restituis,
& qui prius moestus erat, de te lætitiã
capiet?

Ad sic

Adsit manus tua firmato dextere tue,
filio hominis, quem tibi magnificasti.

Inimici mei prosperè viuunt, & fortes
sunt, auferuntur quotidie, qui me odio
habent.

Consilium meum vituperant, eo quòd
Deum spem mihi constitui.

Dicunt mihi indies, tu sperasti in Do-
mino, is te eripiat, saluum te faciat, si-
quidem complacentiam habet in te.

Infilium in me tanquam canes, cœtus
iniquorum me oblatrant, manus ac pe-
des meos obsident.

O Domine, ne longè abeas à me, for-
titudò mea in auxilium meum festina.

Erue de interitu animam meam, & de
rabie canum declina viam meam.

Salua me ex ore leonum, & de pro-
fundo lacu libera me.

Tu sanctus es & fortis, & nullus resi-
stet tibi, ex quo feruescit ira tua.

Quis non timebit te Domine, aut ex
principibus tibi non morem geret?

Ab indignatione tua contremescit
terra, & non ferunt gentes comminatio-
nem tuam.

Adiuua me, Deus saluator meus, &

propter gloriam nominis tui, & placare
super sceleribus meis.

Quoniam iniquitatem meam annun-
tio tibi, & peccatum meum vehementer
me vexat.

Surge Domine in auxilium meum, &
redime me propter misericordiam tuam.

O Deus, refugium meum & robur,
auxilium in tribulatione inuētus semper
validum.

Tu excepisti me de ventre prodeun-
tem, & auxilium mihi fuisti ad vbera ma-
tris meæ.

In te coniectus sum à partu, ab utero
matris meæ, Deus meus es tu.

Ne subtrahas te longè à me, quoniam
tribulatio iam appropinquat, & nullus
est qui opem mihi ferat.

Circundant me inimici mei, infesta-
tores mei vndique me cingunt.

Et ego infirmus sum, & comminutus
vehementer eiulatum exprimit mihi do-
lor cordis mei.

Sicut aqua proiectus sum, separata est
fortitudo meo, & instar testæ exaruit
tota.

Miserere mei Deus, miserere mei, nec
imputes

imputes mihi peccata, quæ stultè commisi.

Noli meminisse meorum retrò peccatorum, antequertant ea misericordiæ tuæ, quia miser sum nimis.

Debilitatus & attritus sum valde, mœrens ingredior omni die.

Et nunc quid expecto Domine? certè anima mea ad te respicit.

Ostende mihi bonitatem tuam, & salutare tuum à me ne contineas.

Satiatur malis anima mea, & inferno appropinquavit:

Egenus & pauper ego sum, & cor meum conturbatur intra me.

Ne abijcias me angustiae tempore, & cum iam virtus mea deficit, tu ne deficias.

Ab inimicis meis eripe me, opprobrium mihi insultantibus ne me ponas.

Libera me de rugientibus ad escam paratis, de manibus quærentium animam meam.

Clamo ad te Domine, quoniam tu es spes mea, & portio mea in terra viuentium.

Educ de carcere animam meam, & in

spacioso loco pedes meos sistas.

Ne auertas faciem tuam à me, ne similis fiam descendentibus in lacum.

Intende ad preces meas, quia humiliatus sum nimis.

Libera me à persequentibus me, quia robusti sunt supra me.

Velociter exaudi me Domine, ne deficiat in me spiritus meus.

Educ de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperde omnes inimicos meos.

Et perde eos, qui me perdere volunt, quoniam ego seruus tuus sum, Amen.

PSALMVS XIII. IN

*quo gratias agit Deo, quod non
preualuerunt hostes.*

L Audibuste celebrabo, Domine Deus, quoniam exaltasti me, & non preualuerunt inimici mei super me.

Domine exercituum, ad te clamaui, & tu saluasti me.

Extraxisti ab inferis animam meam: tenuisti me, ne ruerem in profundum lacum, vnde nullus reditus.

Non conclusisti me in manibus inimicorum meorum, immò statuisti in lo-

eo spacioſo pedes meos.

Queſiui te, & exaudiſti me, & de anguſtijs meis liberum me feciſti.

Conuertisti dolorem in gaudium mihi, diſſoluisti luctum meum, & circundediſti me lætitia.

Magnificasti salutem tuam ſeruo tuo, feciſti miſericordiam mecum in miſerijs meis.

Non contempſiſti afflictionem pauperis, nec auertiſti à me faciem tuam.

Miſericordias tuas in æternum cantabo, notam faciam veritatem tuam in vita mea.

Os meum narrabit iuſtitiam tuam, omni tempore beneficia tua, certè non noui numerum.

Sed gratias agam donec mors rapiat, tibi psallam quamdiu fuero.

Exultabo & lætabor in miſericordia tua, quoniam reſpexiſti in neceſſitates meas, & cognouiſti in anguſtijs animam meam.

Fuiſti mihi infirmo refugium, & infortitudinem fiducia meæ.

Gratulor tibi Domine pro ſempiterna bonitate tua immenſa.

Tu consolatus es me in tempore malo, Deus tu propitius mihi fuisti, & ultus es iniuriam inimicorum meorum.

Pro multitudine cogitationum mearum intra me, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Gaudium mihi dedisti pro diebus quibus afflictus fui, pro annis quibus mala tuli multa.

Recordatus es opproprij serui tui, & in furore quo modo persequerentur inimici mei.

Domine Deus exercituum, quis similis tibi? fortissime Deus, magnus es tu, & laudabilis multum.

Tu excelsus es super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.

Gloria & decor ante vultum tuum, sanctitas & magnificentia in sanctuario tuo.

Iustitia & iudicium firmamentum throni tui, misericordia & veritas faciem tuam præcedunt.

Benedictus es Domine, qui non tenuisti misericordiam tuam à seruo tuo.

Quum diu expauissem te Domine, tandem attendisti mihi, & clamorem meum audisti.

Edu.

Eduxisti me de lacu miseræ, & de lutro limi statuisti supra pedes meos, & gressus meos solidasti.

Desiderium meum mihi dedisti, vidi lætitiã vultus tui.

Percussisti omnes aduersarios meos, & virtutem eorum confregisti.

Increpasti turbã infestantium, & euulsisti me de manibus eorum.

Præcipitasti eos in foueam suam, in reti, quod pro me abscondiderunt, pedes eorum illaqueantur.

Reuersi sunt inimici mei retrorsum, corruerunt & perierunt à facie tua.

Fuisti munimentum inopi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Fecisti iudicium pro me, & egisti causam meam contra accusatores meos.

Et licet ad momentum exardebat ira tua, tamen vita iam in repropitiacione tua.

Putabam equidem, quod penitus abiectus essem à conspectu tuo.

Sed tu preces meas audisti, & pro abundantia misericordiæ tuę recepisti me in gratiam tuam.

Domine in voluntate tua robur ani-

mæ meæ dedisti, cum absconderes faciem tuam, quum turbatus eram.

Ad te clamaui de tribulatione mea, respondisti mihi: cum angustiaretur in me anima mea, tui Domine recordabar.

Degeſtaui & vidi quàm ſuauiſ es tu, certè felix eſt, quiſquis in te ſperat.

Secundum nomen tuum, ſic eſt laus tua, ſed conſilia tua erga nos exemplo carent, & maiora ſunt, quam manifeſtari poſſint.

Tuum eſt imperium, & potentia, & gloria, quia tu feciſti omnia, & propter voluntatem tuam adhuc conſiſtunt.

Sit nomen tuum benedictum, ex hoc nunc & uſque in ſempiternum, Amen.

PSALMVS XIII: IN

quo Diuina laudatur bonitas.

Domine, Dominus noſter, quam admiranda eſt maietas tua per vniuerſam terram? qui dediſti laudem tuam ſuper omnes cælos.

Quid eſt homo, quòd uſque adeò eum magnificas? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Magnus eſ Domine, & multum laudandus in monte ſanctitatis tuæ.

Tibi

Tibi hymnus Deus, tibi vota nostra in
omni tempore soluantur.

Confessio & magnificentia opus tuū,
& iustitia tua in æternum permanet.

Multa fecisti tu Domine Deus miran-
da & magna, & in operibus tuis non est
qui similis tibi.

Iustæ & veræ sunt viæ tuæ : quis non
timebit te, & nomen tuum magnificabit?

Gratias ago tibi Domine Deus ex to-
to corde meo, & nomen tuum in æternū
sanctificabo.

Fortitudo mea & laus mea tu Domi-
ne, qui humiliasti inimicos meos, qui iu-
dex ab initio.

Dextera tua fortissima, dextera tua
multas operatur virtutes.

Tuum brachium cum potentia, & in
voluntate tua infirmitatem meam robo-
rasti.

Confitebor nomini tuo magno & ter-
ribili, quoniam sanctum est.

Quanquam ceciderim, non sum alli-
sus, nam tu manum meam sustentasti.

Reuelavi tibi viam meam, & in te spe-
raui, & tandem optata fecisti.

Fregisti capita inimicorum meorum,

& verticem eorum, qui superbè incedebant in delictis suis, humiliasti.

Tu dominaris potestati eorum, & dum eleuantur in vijs suis, tu compescis eos, & in brachio fortitudinis tuæ illos disperdis.

In nomine tuo exultabo semper, & in tua misericordia omnis mea gloria.

Diligis iustitiam & iudicium, misericordia tua impleta est terra.

Oculus tuus timentes te respicit, & eos qui in misericordia tua confidunt.

Quærentibus te non decrit omne bonum, & nulla erit inopia ijs, qui te timent.

Tu etenim dirigis vias eorum, & aurem præbes ad clamorem eorum,

Vt cripias à morte animas eorum, & in pressura lenias dolores eorum.

Ades enim confractis corde, & spiritu contritos manu tua sustentas.

Redimis animas seruatorum tuorum, & non deuastabuntur omnes qui sperant in te.

Et propterea canet lingua mea laudè tuam, Domine Deus in æternum confitebor tibi.

Diligam te Domine; fortitudo mea
Do-

Domine, firmamentum meum es tu, & robur meum, saluator meus, & refugium meum.

Deus meus, & propugnator meus, scutum meum, cornu salutis meæ, & susceptor meus.

Postquam cum laude te inuocauerim, ab inimicis meis me saluasti.

Cum tribularer inuocaui te, exaudisti me, de templo sancto tuo vocem meam, & clamor meus introiuit coram te in aures meas.

Seruasti me ab inimicis meis, qui insurrexerunt aduersum me, ab hostibus iniquis eripuisti me.

Ex coetu malignantium rapuisti me, & super inimicos meos optata vidit oculus meus.

Et propterea si fortassis transeundum est mihi per vallem umbræ mortis, impavidus incedam, nam tu mecum eris, virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolabuntur.

Tu mihi refugium eris à tribulatione, custodies me ab ijs, qui me perdere querunt.

Oculi mei ad te Domine, quoniam

educes de laqueo pedes meos.

Ad te. ô Deus sunt vota mea, reddam tibi gratiarum actiones, & nunc in secula seculorum. Amen.

PSALMVS XV. DE BENEFICIjs Dei, cum gratiarum actione.

Collaudat te anima mea ô Deus, & omnia quę intra me sunt nomen tuũ sanctum.

Gratias tibi agit anima mea, & nunquam tradam obliuioni vniuersa tua beneficia.

Qui propitiaris omnibus meis delictis, & sanas omnes infirmitates meas.

Qui redemisti de morte vitam meam, ostendens in me gratiam, & misericordiam tuam.

Qui satias bonis desiderium meum, & olim restitues iuuentutem meam.

Fecisti mecum misericordiam in omni tempore, & vltionem sumpisti de inimicis meis.

Fuisti mihi ô Domine in munimentũ, & in partem securam salutis meę.

In consilio tuo dux mihi fuisti, & in misericordia tua assumpisti me.

Multi-

Multiplicasti in me magnitudinem
iram, & post iram tuam conuersus, con-
solatus es me.

Ostendisti mihi tribulationes multas &
malas, sed tandem de profundis abyssis
eduxisti me.

Notas mihi fecisti vias tuas, non ab-
scondisti à me consilia tua.

Misericors & plenus es gratia Domi-
ne Deus, tardus ad iram, & propensus ad
bonitatem.

Non irasceris in perpetuum, neque in
eternum retines in ira miserationes tuas

Non reddis nobis iuxta peccata no-
stra, nec punis nos iuxta iniquitates no-
stras.

Quantum cælum excelsius est quam
terra, tantum misericordia tua præualuit
erga nos.

Quantum distat Oriens ab Occiden-
te, tam longè semouisti à nobis transgres-
siones nostras.

Sicut miseretur pater suis liberis, ita
super nos misertus es Domine Deus no-
ster.

Non oblitus es plasmatis tui, reconda-
ris quòd caro sumus omnis homo viuēs.

Quòdque ætas mortalium tanquàm fœnum est, ac instar florum agri se habet.

Quos protinus vt austerior ventus flabris suis vexauerit, nulli sunt, neque loci eorum vltra inueniuntur.

Misericordia autem tua Domine perpetua est super timentes te, & iustitia tua semper perseuerat.

Dummodo seruamus fœdus tuum, & mandatorum tuorum memores sumus, vt ea faciamus.

Domine in cælis thronum tuum firmasti, & imperio tuo vniuersa regis.

Exaltabo te ô Deus, & nomen tuum in æternum laudabo, & in seculum seculi.

Omni tempore gratias tibi agam, & nomen tuum illustre reddam in perpetuum, & si quid vltra est.

Magnus es tu Domine, & supra omnem laudem, & magnitudinis tuæ nulla est peruestigatio.

Generatio ad generationem opera tua dicent, & virtutes tuas antiquas enūciabunt.

Magnificētiam gloriæ sanctitatis tuæ, & memoriam multæ bonitatis tuæ semper laudabunt.

Quo

Quoniã omnibus bonus es tu, & misericordia tua super vniuersa opera tua.

Oculi omnium te expectant, vt des eis cibum suum in tempore.

Aperis manum tuam, & imples omne quod viuit, refectiõne.

Iustus es Domine in omnibus vijs tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis.

Custodis omnes te diligentes, & non tanget eos tormentum malitiã.

Laudem tui loquetur os meũ, & omne viuens celebrabit nomen tuum sanctum in perpetuum & semper.

Laudate Dominum, õ vos angeli eius, potentes virtute, faciẽtes iussus eius, obediẽtes voci verbi illius.

Collaudate Deũ vniuersi exercit⁹ eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Magnificate Dominum mecũ, & exaltemus nomen eius in id ipsum.

Laudate Dominũ omnes sancti eius. cuius solius nomẽ sublime est, cuius laus cãlos ac terram superat.

Collaudate Dominum vniuersa opera eius, in omni loco imperij eius. Omne quod viuit laudet te Domine. Amen.

Finis 15. Psalm. D. Ioan. Epif. Roff.

F iij

PSALM. XXII.
EX DAVIDE.

*Deus, Deus meus respice in me, quare
me dereliquisti.*

DEVS meus, Deus meus, cur deseruisti me, videor non impetraturus, quamuis id magnis agam clamoribus, liberationem.

Mi Deus clamabo per diem, sed non respondebis, & per noctem, absque vlla intermissione.

Interim tuo sanctissime, veluti securus horum quæ patior, desiderare videris, qui succurristi toties, & materia fuisti carminum ipsi Israeli, quibus gratias tibi pro beneficijs agebant.

Spem suam ponere in te solebant patres nostri, & quoties id faciebant, tu liberabas eos.

Quoties ad te clamauerunt, liberati sunt: quoties sese tibi crediderunt, pudore non sunt suffusi.

Ego verò vermis esse videor magis quàm vir, sterquilinum Adæ, & infimæ plebis fex.

Quotquot

Quotquot videbant me, subsannabant me, conuiciebantur, & moto capite irridentes insultabant mihi.

Gloriari solet hic, inquentes, charum se esse Domino, liberet ergo nunc eum, si tantoperè amat eum.

Te procurante prodij ex vtero, & bene sperare iussisti me, quum adhuc suggerem vbera matris meæ.

Opera tua eiectus sum è vulua, & curæ tuæ relictus, quum essem adhuc in vtero matris meæ, Deus eras mihi tu.

Ne procul igitur abcesseris à me, quia periculum præsentissimū est, nec quemquam video, qui auxilio futurus sit.

Cinxerunt me tauri multi fortes, & velut saginati in pascuis Basan circunderunt me.

Aperuerunt aduersum me os suum, non aliter quàm leo inhians prædæ, & præ fame rugiens.

Tanquam aqua fluidus factus sum, & soluta sunt omnia membra mea, cor meū veluti cæra diffluit intra præcordia mea.

Exaruit tanquam testa omne robur meum, & lingua mea agglutinata est palato meo, & tādē in puluere, quemad-

modum mortui solent, sepelies me.

Circundederunt namq; me canes, cōspirauerunt aduersum me pessimi quiq;, foderunt manus meas & pedes meos.

Tractatus sum ab eis tam inhumani-ter, vt numerare potuerim facilè omnia ossa mea, ipsi adhuc post omnem cruciatum toruum adspiciebant & contempla- bantur me.

Partiebantur vestes meas, & de tunica mea fortiebantur.

Quare tu Domine, ne longè abscesse- ris hinc, quin potius (quùm sis fortitudo mea) ferre mihi suppetias festina.

Eripe à gladio animam meam, & à violentia canis vnicam meam, omni hu- mano auxilio destitutam.

Salua me ab ore leonis, & à cornibus vnicornium eripe me.

Commemorabo maiestatem nominis tui fratribus meis, in frequentissima po- puli turba laudes tuas prædicabo.

Quotquot estis cultores Domini, lau- date eum: vniuersi posteri Iacob, magni- ficate eum, & reuerèter colite illum om- nes posteri Israëlis.

Quia non despexit, neque vilipendit
ob

ob miseriam pauperem, neque auertit contemptim faciem suam ab eo, quin potius quàm pauper clamaret ad illum, diligenter auscultauit.

Te laudabo carminis meis publicè in frequentia populi, & quæ noui, persoluã videntibus illis, qui reuerentur te.

Comedent pauperes, & saturabuntur laudabunt Dominum quicumque studet placere illi, viuent corda vestra, quotquot estis tales perpetuò.

Considerabunt hæc, & conuertentur ad Dominum cuncti fines terræ, & supplices fient tibi Domine vniuersæ nationes gentium.

Domini enim est potestas regia, & imperium habet etiam in gentes.

Comederunt, & quum gustassent spiritualia Domini dona, supplices facti sunt potentissimi quique eorum, qui terram inhabitant, & in venerationem illius genua flectent, etiam mortui omnes in terra sepulti, quia propriam vitam nõ est dignatus impendere pro illis.

Posterius nostri colent eum, scribentur hæc Domino, vt posterius intelligant.

Vt & illi veniant & annuntient po-

pulo, qui ab ipsis nascetur, quod hæc fecerit tam stupenda Dominus.

PSAL. C. GRATIARVM ACTIO
Iubilare Deo omnis terra.

Iubilare in honorem Domini, quotquot
in terra verisimini.

Colite Dominum cum lætitia, venite
in conspectum ipsius cum exultatione.

Agnoscite Dominum esse illum Deum,
qui fecit nos, neque enim ipsi fecit nos,
sed populus eius sumus & grex, quem
ipse pascit assidue.

Intrate per portas illius, gratias acturi
pro acceptis ab eo innumeris beneficiis,
& per atria cantaturi laudes illius, lauda-
re illum, & celebrate laudibus nomē illius.

Benignus est enim Dominus, & infi-
nitæ misericordiæ, & in seruandis pro-
missis constantissimus, non vni genera-
tioni tantum, sed omnibus.

PSALMVS XII. PETITIO

*aduentus Christi accelerandi, propter su-
perborum principum, & hypocrita-
rum in populo multitudinem
inualescentem.*

Saluum me fac Domine, quoniã deficit
sanctus, quoniam defecerunt fideles à
filijs

filijs hominis.

Vana loquuntur vnusquisque cū proximo suo, labium adulationum in corde, & corde loquentur.

Perimat Dominus omnia labia adulationum, linguam loquentem magna.

Qui dixerunt, linguis nostris magnificabimur, labia nostra nobiscum, quis Dominus nobis?

Præ vastitate pauperum, præ gemitu medicorum nunc exurgam, præ gemitu medicorum nunc exurgam dicet Dominus, ponam in salute, loquetur pro ipso.

Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum, à Domino terræ purgatum septies.

Tu Domine custodies eos, custodies eum à generatione hac in æternum.

In circuitu impij ambulant, cum exaltabuntur opprobria filijs Adam.

FINIS.

IMPLORATIO DI-
VINI AUXILII CONTRA

*tentationem, cum insultatione contra de-
mones, ex spe & fiducia in Deum.*

Psal. 3 **D**OMINE, quid multiplicati sunt qui
tribulant me? multi insurgunt aduer-
sum me.

Multi dicunt animæ meæ, non est sa-
lus ipsi in Deo eius.

Tu autem Domine susceptor meus es,
gloria mea, & exaltans caput meum.

Ego dormiui, & soporatus sum, & e-
xurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circundan-
tis me, exurge Domine, saluum me fac
Deus meus.

Psal. 5 Domine, deduc me in iustitia tua, pro-
pter inimicos meos dirige in conspectu
tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas,
cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum,
iudica illos Deus.

Decidant à cogitationibus suis: secun-
dum multitudinem impietatum eorū ex-
pelle eos, quoniã irritauerūt te Domine.

Et

Et lætentur omnes qui sperant in te,
in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ
coronasti nos.

Domine Deus meus in te speraui, sal- *Psal. 7.*
uum me fac ex omnibus persequentibus
me, & libera me.

Nequando rapiat vt leo animã meam,
dum non est qui redimat, neque qui sal-
uum faciat.

Exurge domine in ira tua, & exaltare
in finibus inimicorum meorum.

Persequitur inimicus animam meam
vt comprehendat, & conculcet in terra
vitam meam, & gloriam meam in pulue-
rem deducat.

Arcum suum retendit, & parauit illum;
& in eo parauit vasa mortis, sagittas suas
ardentibus effecit.

Ecce parturijt iniustitiam, cõcepit do-
lum, & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum, incidit
in foveam quam fecit.

Conuertetur dolor eius in caput eius,
& in verticem ipsius iniquitas eius de-
scendet.

Confitebor domino secũdum iustitiam

eius: & psallā nomine Domini altissimi.

In pace in idipsum dormiam & requiescam,

Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

Psal. 9

Miserere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.

Et sperant in te, qui nouerunt nomen tuum Domine, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.

Et factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in oportunitatibus in tribulatione.

Vt quid Domine recessisti longè, despicias in oportunitatibus in tribulatione?

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.

Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliuiscaris pauperum.

Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.

Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: preparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.

Oculi

Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.

Domine Deus meus in te speravi, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me? *Psal. 12*

Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutaribus tuis: canticum Domino qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.

Conserua me Domine, quoniam speravi in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. *Psal. 15*

Perfice gressus meos in semitis tuis, *Psal. 16*

G

vt non moueantur vestigia mea.

Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.

Psal. 15 Prouidebam Dominum in conspectu meo, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.

Psal. 17 Tu illuminas lucernam meam Domine Deus meus, illumina tenebras meas.

Quoniam in te eripiar à tentatione, in Deo meo transgrediat murum.

Deus meus impoluta via eius, eloquia Domini igne examinata, protector est omnium sperantium in se.

Psal. 21 Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum?

Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me, loquuti sunt labijs, & mouerunt caput.

Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discefferis à me.

Quoniam

Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuat.

Tu autem Domine ne elógaueris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice.

Et si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virgo tua & baculus tuus ipsa me cōsolata sunt.

Ad te Domine leuavi animam meam, *Psal. 24*
Deus meus in te confido, nō erubescam.

Neque irrideant me inimici mei, etenim vniuersi qui sustinent te non cōfundentur.

Delicta iuuentutis meæ & ignorātiās meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento meitu, propter bonitatem tuam Domine.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.

Oculi mei semper ad Dominum quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.

Tribulationes cordis mei multiplicatę sunt, de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam & laborem

Gij

meum, & dimitte vniuersa delicta mea.
Psal. 26. Dominus illuminatio mea, & salus
 mea, quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ, à quo
 trepidabo?

Si consistant aduersum me castra, non
 timebit cor meum.

Si exurgat aduersum me prælium, in
 hoc ego sperabo?

Vnam petij à Domino, hâc requiram,
 vt inhabitem in domo Domini omnibus
 diebus vitæ meæ.

Vt videam voluntatem Domini, & vi-
 sitem templum eius.

Exaudi Domine vocē meam qua cla-
 maui ad te, miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, Exquisiuit te fa-
 cies mea, faciem tuam Domine requirā.

Ne auertas faciem tuam à me, ne de-
 declines in ira à seruo tuo.

Adiutor meus esto, ne derelinquas
 me, neque despicias me Deus salutaris
 meus.

Credo videre bona Domini in terra
 viuentium.

Expecta Dominum, viriliter age: con-
 fortetur cor tuum: & sustine Dominum.

Ad te

Ad te Domine clamabo, Deus meus *Psal. 27.*
ne fileas: nequando taceas à me, & affi-
mulabor descendantibus in lacum.

Pfallite Domino sancti eius, & confi- *Psal. 29.*
temini memoriæ sanctitatis eius.

Quoniam ira in indignatione eius, &
vita in voluntate eius.

Ad vesperam demorabitur fletus, &
ad matutinum lætitia.

Auertisti faciem tuam à me, & factus
sum conturbatus.

Ad te Domine clamabo, & ad Deum
meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo, dum
descendo in corruptionem?

In te Domine speravi, non confundar *Psal. 30.*
in æternum, in iustitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, accelera
vt eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, &
in domum refugij, vt saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea & refugium
meum es tu, & propter nomen tuum de-
duces me, & enutries me.

Educes me de laqueo quem abscon-
derunt mihi: quoniam tu es protector
meus.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor, conturbatus est in ira oculus meus, anima mea & venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, vicinis meis valde, & timor notis meis.

Qui videbant me foras fugerunt à me: obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.

Factus sum tanquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speraui Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis fortes meæ.

Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua

Do-

Domine, non confundar, quoniam inuocaui te.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!

Ecce oculi Domini super timentes *Psal. 32.*
eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.

Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor & protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius sperauimus.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te.

Accedite ad eum, & illuminamini, & *Psal. 33.*
facies vestræ non confundentur.

Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus, beatus est vir qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.

Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Iuxta est Dominus his qui tribulato
sunt corde, & humiles spiritu saluabit.

Psal. 35. Filij hominū in tegmine alarum tua-
rum sperabunt, inebriabuntur ab vberta-
te domus tuæ.

Psal. 37. Quoniam apud te est fons vitæ, & in
lumine tuo videbitur lumen.
Domine ne in furore tuo arguas me,
neque in ira tua corripas me.

Quoniā sagittæ tuæ infixæ sunt mihi,
& confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie
iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie
peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ
sunt caput meū, & sicut onus graue gra-
uata sunt super me.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices
meæ à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum & curuatus sum vs-
que in finem: tota die contristatus ingre-
diebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illu-
sionibus: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliatus sum nimis:
rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium
meum:

meum : & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei & proximi mei, aduersum me appropinquauerunt & steterunt.

Et qui iuxta me erant de longè steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates : & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam : & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei, & dum commouentur pedes mei, super me magna loquuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

Psal. 38. Dixi, Custodiam vias meas, vt nõ delinquam in lingua mea.

Posui ori meo custodiam, cum confisteret peccator aduersum me.

Obmutui, & humiliatus sum, & filui à bonis, dolor meus renouatus est.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.

Loquutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum,

Et numerum dierũ meorum quis est, vt sciam quid desit mihi,

Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substãtia mea tanquam nihilũ ante te.

Veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens.

Veruntamen in imagine pertransit homo,

mo,

mo, sed & frustra conturbatur.

Theaurizat, & ignorat cui congregabit ea.

Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? & substantia mea apud te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui, & non aperui os meum: quoniam tu fecisti, amoue à me plagas tuas.

A fortitudine manus tuæ ego defeci, in increpationibus propter iniquitatem corrupuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius, veruntamen vanè conturbatur omnis homo.

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas.

Ne fileas: quoniam aduena ego sum *Psal. 39.* apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.

Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.

Multa fecisti tu Domine mirabilia tua,
& cogitationibus tuis non est qui simili
lis sit tibi.

Tu autem Domine ne longè facias mi-
serationes tuas à me, misericordia tua &
veritas tua susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala,
quorum non est numerus: comprehen-
derunt me iniquitates meæ, & non potui
ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capi-
tis mei, & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine, ut eruas
me: Domine ad adiuuandum me re-
spice.

Exultent & lætentur super te omnes
quærentes te, & dicant semper, magni-
ficetur Dominus, qui diligunt salutare
tuum.

Ego autem mendicus sum & pauper,
Dominus sollicitus est mei.

Adiutor meus & protector meus tu
es, Deus meus ne tardaueris.

Psal. 41. Quemadmodum desiderat ceruus ad
fontes aquarum, ita desiderat anima mea
ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum fontem

uiuum, quando veniam, & apparebo ante
faciem Dei?

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes
die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie,
vbi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me
animam meam, quoniam transibo in lo-
cum tabernaculi admirabilis vsq; ad do-
mum Dei?

In voce exultationis & confessionis
sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea? & quare
conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confi-
tebor illi, salutare vultus mei, & Deus
meus.

Ad meipsum anima mea conturbata
est, propterea memor ero tui de terra
Iordanis & Hermonij à monte modico.

Abyssus abyssum inuocat in voce ca-
taractarum tuarum.

Omnia excelsa tua & fluctus tui super
me transierunt.

In die mandauit Dominus misericor-
diam suam & nocte canticum eius.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam
Deo, Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contri-
status incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, expro-
brauerunt mihi qui tribulant me inimici
mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies, v-
bi est Deus tuus?

Quare tristis es anima mea? & quare
conturbas me?

Spera in Deo, quoniã adhuc cõfitebor
illi, salutare vultus mei, & Deus meus.

Psal. 45

Deus noster refugium & virtus: adiu-
tor in tribulationibus quæ inuenerunt
nos nimis.

Propterea non timebimus dum turba-
bitur terra: & transferentur montes in
cornu maris.

Sonuerunt & turbatae sunt aquae eo-
rum: conturbati sunt montes in fortitu-
dine eius.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem
Dei: sanctificauit tabernaculum suum al-
tissimus.

Deus in medio eius non commouebi-
tur, adiuuabit eam Deus mane diluculo.

Psal. 50

Miserere mei Deus secundum magnã
misericordiam tuam,

Et

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus cōceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hylopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiā. & exaltabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mūdum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proicias me à facie tua: & spiritū sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiā salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meū annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem: vtique holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus non despicias.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Psal. 54 Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intēde mihi & exaudi me.

Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me.

Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.

Et dixi, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ

columbæ, & volabo, & requiescam;

Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.

Nonne Deo subiecta erit anima mea? *Psal. 61*
ab ipso enim salutare meum.

Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius.

Quousque irruitis in hominem? interficitis vniuersi nos, tanquam parieti inclinato, & maceræ depulsæ?

Veruntamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.

Quia ipse Deus meus, & Saluator meus, adiutor meus, non emigrabo.

In Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxiliij mei, & spes mea in Deo est.

Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra, adiutor Deus noster in æternum.

Semel loquutus est Dominus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.

Deus, Deus meus, ad te de luce vi. *Psal. 62*
gilo.

H

Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, iuuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.

Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo: adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo: laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psal. 66 Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum tuum super nos,
&

& misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam,
in omnibus gentibus salutare tuum,

Confiteantur tibi populi Deus, confi-
teantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent Gentes, quoniã
iudicas populos in æquitate, & gentes in
terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, con-
fiteantur tibi populi omnes, terra dedit
fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, be-
nedicat nos Deus, & metuant eum om-
nes fines terræ.

FINIS.

H ij

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHAEO.

*Matth. 6.**Precatio Dominica.*

Pater noster, qui es in caelis: Sancte colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ut in caelo, sic & in terra. Victum nostrum alimentarium da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, ut & nos remittimus debitoribus nostris. Neue nos in tentationem inducito, sed a malo tuere: Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria in sempiternum, Amen.

Matth. II.

Ago tibi gratias, Pater caeli terraeque Domine, qui haec sapientes peritosque celaueris, & infantibus patefeceris: & quidem, o Pater, quoniam ita tibi visum est.

Matth. 26.

Mi Pater, si fieri potest, euadam hoc poculum

poculum: quanquam non vt ego volo,
sed vt tu.

Et paulò post.

Mi Pater, si hoc euadere poculum non
possum, quo minus id bibam, fiat volun-
tas tua.

Luce. I.

Agit Deo gratias Maria, per quem
gravidata sit eo, qui sit Israelitis salutem
allaturus.

Mariæ Iesu matris carmen.

Magnificat animus meus Dominum,
exaltatque mea mens de Deo Seruatore
meo: qui spectauerit humilitatem ancil-
læ suæ, vnde me in posterum beatã præ-
dicatura sunt omnia secula. Quoniam
mihi magna fecit præpotens ille, cuius
& nomen sanctum est, & misericordia
perennis erga reuerentes eum. Qui
fortia patrat suo brachio, profligat animi
mente superbientes. Deturbat potentes
de solijs, & humiles extollit. Esurientes
bonis explet, & diuites inanes dimittit.
Subuenit Israelitis suis misericordiæ me-
mor: quemadmodum maioribus promi-
serat nostris, Abrahamo, & eius futu-

ræ posteritati.

Luce. I.

Deo gratias agit, qui promissum miserit Seruatorem, cui præiturus sit Ioannes

Zacharie Ioannis carmen Baptistæ patris.

Grates Domino Israelitarum Deo, qui populi sui liberationem procuret, erigatque nobis cornu salutis in domo sui Dauidis, quemadmodum promisit præscorum ore sanctorum suorum vatum, quo vindicemur ab hostibus nostris, & ex omnium manu, qui nos odere. Ut utatur misericordia erga maiores nostros, recordatione sui sancti fœderis: qui iure iurando promiserit, Abrahamo patri nostro, daturum se nobis, ut intrepidè, ex hostium nostrorum manu liberati, eum coram piè iusteque colamus, toto vitæ nostræ tempore. Et tu puer supremi vates vocabere: præibis enim Domino, paratum vias eius: ad dandam salutis cognitionem eius populo, per eorum veniam peccatorum, per intimam Dei nostri misericordiam, qua nos ex alto visit

ortus: qui appareat ijs, qui in tenebris &

atra

atra nocte degunt, ad dirigendos pedes
nostros in viam pacis.

Luce. 2.

*Laudant Genij Deum, nato
Christo.*

Deo gloria supremis in locis, & in ter-
ra pax, erga homines benevolentia.

Luce. 2.

*Agit Simeon Deo gratias, ob missum
Seruatorem.*

Nunc dimittis tuum me Domine, se-
cundum promissionem tuam placidè:
quandoquidem vidi meis oculis salutem
tuam, quàm omnibus expositam popu-
lis parâsti, lumen gentibus patefaciendû,
& Israelitarum gloriam tuorum:

Luce 18.

*Pharisei precatio, sed superba &
vitiosa.*

Deus, ago tibi gratias, quòd non sum
quales reliqui hominum, rapaces, iniusti,
adulteri, aut etiam qualis hic Publica-
nus: Ieiuno bis intra singula sabbata: de-
cimas do omnium quæ possideo.

H iij

*Luce. 18.**Publicani precatio, modesta & bona.*

Deus propitius esto mihi fonti.

*Luce. 23.**Latronis cum Christo crucifixi.*

Memento mei Domine, cum ad tuum regnum perueneris.

*Luce. 23.**Iesu expirantis.*

Pater, tibi in manus commendo spiritum meum.

*Ioannis 11.**Iesu Lazarum in vitam reuocaturi.*

Pater, ago tibi gratias, qui me audias. Equidem scio, ut me semper audias: sed propter circumstantem turbam dico, ut credant à te missum esse me.

*Actorum. 1.**Apostolorum super subrogatione Iosephi, Barsabe, aut Matthie in Iude locum.*

Tu Domine, qui omnium mentes perspicias, ostende, utrum horum destinaueris

ueris subeundæ huius muneris & legationis forti, ex qua Iudas excidit, in suum iturus locum.

Actorum 4.

*Precantur Apostoli Deum, ut se
contra aduersarios confirmet
ad docendum Euan-
gelium.*

Domine, tu Deus es, qui cælum, terram, mare, & quæcunque in eis insunt, fecisti: qui ore tui Dauidis ita dixisti, Quid tumultuantur gentes? populi vana conantur? conspirât orbis reges? Coeunt optimates contra Dominum, contraque eius vnctum? Coiuerunt enim verè aduersus tuum sanctum Iesum quem vnixisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum genibus & populis Israeliticis, facturi quæcunque tu tua manu, consilioque facienda destinâsti. Quamobrem Domine adspice minas eorum, tuisque da cum omni libertate tuum sermonem eloqui, manum tuam extendendo ad sanationes, prodigia & ostenta edenda, per nomen tui sancti Iesu.

*Actorum. 7.**Stephani morientis.*

Domine Iesu, accipe spiritum meum.

Tum demissis genibus.

Domine, noli in eos hoc vindicare peccatum.

*EX EPISTOLIS.**Rom. I*

Ago Deo meo gratias, per Iesum Christum de vobis omnibus, quòd vestra fides toto orbe diuulgatur.

Rom. I 6.

Et qui vos confirmare potest secundum Euangelium meum, & Iesu Christi precationem, secundum patefactionem mysterij æternis temporibus taciti, nunc autem declarati, & per vaticinias literas, ex Dei immortalis instituto ad obediendum fidei, ad gentes omnes explicari, soli sapienti Deo per Iesum Christum gloria in perpetuum, Amen.

I. Cor. I.

Ago Deo me semper de vobis gratias, ob Dei beneficium, quod vobis callatum est in Iesu Christo.

I. Cor.

I. Cor. 16.

Gratia Domini Iesu Christi vobis ad-
sit, Mea charitas cum omnibus vobis in
Christo Iesu. Amen.

I I. Cor. 1.

Gratia vobis & pax à Deo patre no-
stro, & Domino Iesu Christo. Grates
Deo & Patri Domini nostri Iesu Chri-
sti, patri misericordiæ, omnisque solatij
Deo.

I I. Cor. 13.

Gratia Domini Iesu Christi, & Dei
charitas, & sancti Spiritus communio
vobis adsit omnibus, Amen.

Galat. 6.

Gratia Domini Iesu Christi adsit ani-
mo vestro fratres, Amen.

Ephes. 6.

Adsit omnibus gratia, Dominum no-
strum Iesum Christum amantibus incor-
ruptè.

I. Tim. 1.

Gratia, misericordia, pax à Deo patre
nostro, & Domino Iesu Christo, Domino
nostro.

Tit. I.

Gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Domino I E S V Christo, Seruatore nostro.

I. Pet. I.

Gratia vobis & pax multa sit. Grates Deo, & Patri Domini nostri I E S V Christi, qui nos pro sua singulari misericordia iterum genuerit in viuam spem, per I E S V Christi resurrectionem ex mortuis. Sunt & alia huiusmodi in Epistolis: quæ hîc repetere non est opus.

Apocal. 5.

Cùm cœpisset Agnus librum, quatuor animalia, & illi viginti quatuor senatores accesserunt Agno, habentes singuli cytharas & phialas aureas, suffimentorum plenas, quæ sunt sanctorum preces, canebantque carmen nouum, ita dicentes:

Dignus es qui librum accipias, eiusque sigilla aperias, quoniam mactatus es, nosque Deo tuo sanguine, omnibus ex nationibus, linguis, populis, atque gentibus emisti, & Deo nostro reges ac sacerdotes fecisti, regnaturos in terris.

Tum

Tum adspiciens, audiui multorum vo-
cem Geniorum circa solium senatorum-
que, quorum numerus erat millies cen-
tena millia, & decies centena millia, qui
magna voce sic dicebant:

Dignus est Agnus immolatus, qui po-
rentiam, & opes, & sapientiam, & vires,
& honorem, & gloriam, atque foelicitatem
adipiscatur.

Tum res omnes quæ sunt in cælo, & in
terra, & sub terra, & in mari, breuiter quæ
sunt in eis omnia, audiui ita dicere:

Sedenti in solio, & Agno, foelicitas, &
honos, & gloria, & imperium in perpe-
tua secula.

Et quatuor animalia dicebant, Amen.

Apocal. 7.

Postea animaduerti tantam turbam,
vt eam numerare nemo posset, ex omni-
bus gentibus, nationibus, populis, linguis:
qui ante solium & Agnum stantes, albis
induti vestibus, & palmas in manibus ha-
bentes, magna voce clamabant, in hunc
modum:

Salus sedenti in solio Dei nostri, &
Agno.

Tum omnes Genij, qui solium, senatorésque, & quatuor animalia circumstábát, proni ad solium accederunt, Deúmque venerati sunt, dicentes:

Etiam, Fœlicitas & gloria, & sapientia, & gratiarum actio, & honos, & potentia, & vires Deo nostro, in perpetua secula, Amen.

Apocal. 7

Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.

Apocal. 11.

Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnâsti. Et iratæ sunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum vt iudicentur: & reddas mercedem seruis tuis Prophetis & Sanctis, & timentibus nomen tuum pusillis & magnis, & perdas eos qui perdunt terram, Amen.

Tob. 13.

Magnus es Domine in æternum, & in
omnia

omnia secula regnum tuum, quoniam tu flagellas, & saluas: deducis ad inferos, & reducis: & non est qui effugiat manum tuam. Confitemini Domino filij Israel, & in conspectu Gentium laudate eum: quoniam idè dispersit vos inter Gentes quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos quia non est alius Deus omnipotens, præter eum. Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiam suam. Aspiciate ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi: regemque seculorũ exaltate in operibus vestris. Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem. Conuertimini itaque peccatores, & facite iustitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam. Ego autem, & anima mea in eo lætabimur. Benedicite Dominum omnes electi eius: agite dies lætitiæ, & confitemini illi. Anima mea benedic Dominum, Amen.


Scripsit Ies. Paderb.


FINIS.


LIBRARIUS

Omnia sunt in manu tua Domine
 et non est qui possit absque
 te facere aliquid. Tu solus
 sanctus et dominus. Tu solus
 dominus Deus verus et vivens.
 Tu solus dominus Deus et
 immortalis. Tu solus dominus
 Deus et incomprehensibilis.
 Tu solus dominus Deus et
 invisibilis. Tu solus dominus
 Deus et insuperabilis. Tu solus
 dominus Deus et immensus.
 Tu solus dominus Deus et
 immortuus. Tu solus dominus
 Deus et immutabilis. Tu solus
 dominus Deus et immensibilis.
 Tu solus dominus Deus et
 immortuus. Tu solus dominus
 Deus et immutabilis. Tu solus
 dominus Deus et immensibilis.
 Tu solus dominus Deus et
 immortuus. Tu solus dominus
 Deus et immutabilis. Tu solus
 dominus Deus et immensibilis.
 Tu solus dominus Deus et
 immortuus. Tu solus dominus
 Deus et immutabilis. Tu solus
 dominus Deus et immensibilis.
 Tu solus dominus Deus et
 immortuus. Tu solus dominus
 Deus et immutabilis. Tu solus
 dominus Deus et immensibilis.

LIBRARIUS









Guille
de Tor
uall
n. 200

Tn
2346